

# SYLLOGIMAEORUM TRANSYLVANAE ECCLESIAE LIBRI SEPTEM DE RUDOLPH BZENSZEKY (II)

## SYLLOGIMAEORUM TRANSYLVANAE ECCLESIAE LIBER SECUNDUS

### De veteri Transylvaniae religione Praefatio

Tantam veterum religionis rituum observavi apud historicos sterilitatem, ut vix animum adicere potuerim ad ista, quae paucula reperi in librum coordinanda maluerimque in modum cuiuspiam prolegomeni haec eadem recensere. Quia vero ad historicam praesentis opusculi substantiam vel maxime pertinere credidi, ut priusquam recentium saeculorum haereses attingerentur, primae religionis vetustas commemoraretur, ista Collectanea prope invitum librum secundum inscripsi, libri nomine vix digna, quod pro reliquis librum tenuem ac sterilem conficerent. Motivo tamen opinor fore historiophilis hanc ipsam libri istius sterilitatem, ut in posterum solertius talia annotare ac posteritati relinquere non graventur. Vale.

### INDEX LIBRI SECUNDI

#### De veteri Transylvaniae religione

##### *Caput primum. De antiquitate religionis Transylvaniae.*

1. Sanctus Nicolaus intulit Catholicam fidem primus in Daciam. 2. Ariana haeresis in Dacia inter gentiles plantabatur sub Valente Imperatore circa annum Christi 370. 3. Transylvania fit Ariana. 4. Sanctus Stephanus purgat Transylvaniam ab Arianismo. 5. Ariani nunc nominati Unitarii, rursus aucti in Transylvania.

*Caput secundum. Vita Sancti Stephani I Regis Hungariae. Ex „Horis Canonicis“ et Literae Silvestri II Pontificis Maximi.*

*Caput tertium. Transylvania per Sanctum Stephanum Hungariae Regem ad fidem Catholicam convertitur.*

1. Sanctus Stephanus Rex Catholicum Ducem praeficit Transylvaniae. 2. Transylvania divinitus a barbaro hoste protecta. 3. Proelium pro religione adornatum. 4. Transylvania cum Duce Gyula subicitur Hungariae. 5. Gloriosa victoria de Cea, Bulgarorum Duce. 6. Spolia sub novo Duce Zoltan in sacros usus conversa. 7. Haereses irrepsere in Transylvaniam. 8. Valachi ritus Graeci coeperunt renunciare schismati. 9. Valachi nonnisi uniti recipiuntur inter Status Transylvaniae.

*Caput quartum. De primo regum zelo pro Catholica religione eiusdemque fortuna.*

1. Sanctus Stephanus Rex filio Emerico praecepta religionis tradit. 2. Quaedam documenta ex Libro decretorum Hungariae pro filio Sancto Emerico. 3. Alia documenta pro populo Hungarico. 4. Felicitas Transylvaniae florente religione Catholica. 5. Infelicitas eiusdem ob confusionem religionis.

*Caput quintum. De Episcopatibus et Decanatibus Transylvaniae.*

1. Quatuor Episcopales in Transylvania Sedes nominatae a scriptoribus Milkoviensis, Cibiniensis, Albensis et Bistritzensis. 2. Decanatus et Capitula. 3. Superintendens Luthericus, Calvinianus et Episcopus Valachorum.

*Caput sextum. De religiosis ordinibus, qui olim in Transylvania floruerunt.*

1. Difficultas scribendarum sacrarum foundationum. 2. Abbatiae duae. 3. Ordo Sancti Dominici. 4. Monasteria Sancti Francisci. 5. Coenobia ordinis Sancti Pauli Primi Eremitae. 6. Felicitatis Transylvaniae ruina.

## LIBRI SECUNDI DE VETERI TRANSYLVANIAE RELIGIONE CAPUT PRIMUM

### De antiquitate religionis Transylvaniae

1. Sanctus Nicolaus intulit Catholicam fidem primus in Transylvaniam.

Innotuit Dacia Catholica fides olim per Sanctum Nicolaum Episcopum (cuius festum celebre per Hungariam esse statuit rex Ladislaus, Decretorum libro primo, capite 28) corruptaque deinceps refluere a saeculo octavo, sed rursum recidit in gentilismum, in quo usque ad tempora Sancti Stephani I Regis Hungariae perseverare Transylvani. Annotavit id Martinus Szentivany Societatis Jesu in „Miscellaneis“, Decade 1, Synopsi 8, paragrapho 2, sic brevissime: „Bosnenses, Valachi et Moldavi a Sancto Nicolao Episcopo conversi, qui obiit 6 Decembris anno Christi 326. Octavo autem saeculo Daci (nunc dicti Moldavi, Transylvani et Valachi) plenius convertebantur“.

2. Ariana haeresis in Dacia inter gentes plantabatur sub Valente Imperatore, circa annum Christi 370.

Est itaque creditu facile, quod gentilibus permissi fuerint aliquot retro saeculis Ariani, de quibus in praecoce libello recens contra Romano-catholicos edito, de Transylvanicis ecclesiis, Georgius Haner Schösbургensis libro 2, paginis 53 ad 57, sic scripsit: „Magnam Gothorum partem Imperium Hungarorum respuentem cedendum et ex Hungaria emigrandum statuisset ac trans Istrum Duce Alavivo (ut est apud Marcellinum) cum liberis et uxoribus expetiisse ab Ariano imperatore Valente sedem in Moesia atque Thracia ac impetrasse eo fine, ut essent veluti propugnaculum Romani Imperii eiusque fines ab Hunnorum incursionibus tue-

rentur ideoque Episcopos pestilentissimo dogmati Ariano addictos obtinuisse (quorum primus fuerit Ulphila natione Geta adeoque linguae eorum Germanicae seu Gothicae gnarus), a quibus baptizati sint et Christiani dicti at Ariani facti“. Eundem Ulphilam, teste Socrate, „Historia Ecclesiastica“, libro 4, capite 33, Sacras Scripturas in Gothorum sermonem convertisse effecisseque ut barbari divina eloquia addiscerent.

### 3. Transylvania fit Ariana.

Eadem confirmantur ex Theodoreto et Sozomeno, apud Haner loco citato, ubi pagina 60 ait effectum esse, ut hi, qui adhuc deorum sequebantur cultum, fermento Arianorum inficerentur ac Transylvania fieret Ariana. Et pagina 66 sic: „Interea Transylvani seu Dacoteutones et servitutis iugo, et erroribus suis Arianis obruti in tenebris latebant.“

### 4. Sanctus Stephanum purgat Transylvaniam ab Arianismo.

Idem Haner, libro 3, pagina 69 quaque scribit: „Tempore sancti Regis Stephani, eos, qui errores Arianorum sequebantur, suscepto denuo baptismo, in viam esse reductos.“ Et pagina 70 haec verba addit: „Daci Teutones sive Saszi cum Szekeliis et Valachis et omnes Transylvaniae incolae, opera Sancti Stephani Regis, quidam delectabili Ariana haeresi, alii idololatria remota, Ecclesiae Catholicae adiuncti sunt.“ *Haec ille.*

### 5. Ariani, nunc nominati *Unitarii*, rursus aucti in Transylvania.

Sed iam aucti iterum *Ariani* (vulgo dicti *Unitarii*) anno Christi 1698 centum et triginta suos numerabant Ministellos in 180 pagis oppidisque per Transylvaniam. Quia vero anno Christi 1700 in generalibus comitiis Leopoldus I Romanorum Imperator aequalitatem privilegiorum religionis Catholicae, multum ab haereticis pressae, perurgeri facit, quae deinceps et quanta Arianorum seu Unitariorum potentia viguerit videbitur libro ultimo. Ut vero sanctitatem Sancti Stephani primi Hungarorum Regis cognoscamus eam vita sua, consulto hic descripta, indicabit.

## CAPUT SECUNDUM

### Vita Sancti Stephani, Primi Regis Hungariae. Ex Horis Canonicis.

Ea tempestate qua Hungarorum gens Ecclesiam DEI populabatur, rebus omnibus miserandam afferebat vastitatem, Geysa Princeps (quartus ab eo qui Hungaris iterato Pannoniam ingressis Ducem se praebeuit) rerum potiebatur. Is DEI benignitate praeventus, fidei Christianae veritatem agnovit, camque publice professus, salutaribus aquis est expiatus. Rex salute propria contentus, eo cogitationes defixit, ut subditum sibi populum Christo lucrificaret: ideoque viros Christianae fidei peritos undique accersere ac templa extruere coepit. Cum autem in ea cogitatione anxius esset, nocte secundum quietem dididit ab angelo, filium qui sibi nasceretur regis titulo decorandum idque perfecturum, quod ipse animo conceperat. Uxor quoque Geysae, partui propinqua, meruit in visione a Sancto Stephano Protomartyre de nascituro filio confirmari simulque edoceri suo cum patrocinio tutandum, suum ei nomen

imponi debere, ipsum suae gentis regium titulum et coronam primum habiturum. Nascitur ergo Stephanus in oppido Strigoniensi atque a Sancto Adalberto Antistite sacro fonte abluitur. Adolescens bonis moribus et optimis disciplinis imbuatur et ad futuram Regni gubernationem cum doctrina tum praeceptis politicis egregie instruitur. Patre Geysa vita functo et Adalberto in Russia martyrio coronato, administrationem Christianam longe lateque propagare totis viribus est aggressus. Sed omnis boni hostis diabolus, malignitate et invidentia plenus, populum maxima adhuc parte gentili caecitate laborantem immani adversus eum et Christianos furore concitavit. Christi virtute confortatus, Stephanus adversus hostes processit et, collatis signis, dum anceps pugna ferveret, ad preces conversus, decimas rerum omnium, obtenta victoria, ecclesiis addixit. Vix orationem finierat et, inclinata hostili acie, plenam victoriam reportavit. Itaque cum alia pie suscepta vota exsolvit, tum vero Sancto Martino, cuius precibus victoriam adscribebat, insigne monasterium extruxit multisque possessionibus ac donariis ornavit. Post superatos Christiani nominis hostes, Stephanus humi saepe abiectus, in cinere et cilicio DEI supplicabat pro fidei Christianae in Hungaria augmento. Cuius pia consilia cum toto orbe vulgata essent, multi viri religiosi salutis animarum cupidissimi ex variis mundi partibus ad ipsum confluebant: quos omnes Stephanus admirabili benignitate et munificentia est complexus, exstructis passim coenobiis, quae possessionibus ac libertatibus amplissimis gaudere voluit. Quoque pro religionis stabilitate reliquum erat Archiepiscopatum Strigoniensem et decem Episcopatus in Hungaria constituit: quos omnes privilegiis et praediis munificentissime dotavit. Quibus ita constitutis, ut suprema tam immenso operi manus imponeretur, Stephanus divino plane consilio Astricum, primum Colocensis Ecclesiae Praesulem Romam ad Summum Pontificem cum mandatis misit. Quem Pontifex perbenigne accepit cunctisque Sancti Stephani postulatis ultro assensit. Itaque Apostolicam Benedictionem non modo recens conversae ad Christum Pannoniae Episcopatumque confirmationem impertivit, verum etiam regiam coronam, quam Missae Poloniae Duci, nuper ad fidem Christi aggregato, confici curarat, ab Angelo praemonitus, Stephano transmisit eumque Regem salutavit et Hungarorum Apostolum nominavit suasque illi vices in ordinandis ecclesiis concedidit, facta a Romano Pontifice ipsi posterisque Regibus perferendae Crucis potestate. His tantis tamque eximiis a Sede Apostolica Stephanus ornatus insignibus, praeter alia innumera DEI ministris et populo Christiano exhibita regiae pietatis et munificentiae argumenta, in ipsa Regiae Sedis civitate Alba, grandem imprimis ac prorsus insigne Virgini Deiparae basilicam condidit, in qua regnum et coronatio perageretur et corpora sepelirentur. Divam vero Virginem Mariam non solum in omni vita singulari pietate coluit, verum etiam Regni sui Hungariae patronam adoptavit. Et in eius rei memoriam, ut dies Assumptionis Deiparae dies Magnae Dominae vocaretur celebrisque ab omnibus haberetur edixit. Fontibus Hungariae contineri non potuit Sancti Regis Stephani pietas ac divini cultus promovendi desiderium: sed in longe dissitas etiam regiones sese effudit. Itaque Hierosolymis insigne Coenobium Monachorum aedificavit praediisque et vineis dotavit. Romae quoque duodecim Canonicorum Collegium in honorem Sancti Stephani

Protomartyris dicatum erexit rebusque instruxit vitae necessariis. Domos etiam et hospitia Hungaris, voti aut devotionis causa Romam confluentibus, aedificavit ac dotavit. Denique Constantinopoli eximii operis templum extruxit et sacro apparatu abunde instruxit. In ipsa vero Hungaria, tam multa et tam ampla religiosorum domicilia erexit, ut iniri numerus vix possit. Et quamvis Rex Sanctus, admiranda sanctitate cunctisque ornatus esset virtutibus, assiduarum tamen calamitatum ac aerumnarum molestiis divinitus exercebatur. Tribus annis continuis gravi ac molesta invaletudine laboravit: ubi primum sanitati restitutus est, unicum eumque sanctissimum filium Emericum mortuum vidit, quod licet acrem ei doloris sensum identidem excitaret, animo tamen ad DEI voluntatem praeclare composito ad maiora et perfectiora pietatis opera sedulus incumberebat. Politicam Regni gubernationem ita ordinavit, ut diurnum quidem tempus tractandis et consultandis negotiis impenderet, nocturnas vero horas maiori parti in vigiliis et precibus profuso lacrimarum imbre traduceret. Licet vero ob praeclare pietatis et iustitiae opera universa eum summi infimique mirifice colerent et amarent: non defuere tamen quatuor viri primarii, nec dum gentili idolatria deposita perfidi, qui eius necem conspirarent. E quibus unus scelere audacior cum vespere cubiculum ingreditur Regem iugulaturus, gladius e manibus perdit hominis coelesti impulsu excidit Regemque tinnitu excitavit. Cui nihilominus cum lacrimis veniam petenti, Rex clementissimus ad omnium stuporem ignovit. Porro inter omnia coelestis gratiae munera Beato Regi Stephano a largitore bonorum omnium Deo copiose collata, nullum videtur illustrius quam quo misericordiae opera noctes et dies studiose diligenterque exercuit. Nam praeter immensam pecuniae vim et quotidianos sumptus alendis pauperibus destinatos, ipse horis nocturnis incredibili alacritate pauperum abluebat pedes et largam eis eleemosynam suis manibus erogabat. Quadam vero nocte, cum pro more crumenam nummis benerefertam manu gestaret ac pecuniam pauperibus incognitus elargiretur, orta in occurso contentione inter pauperes, barbam viri sanctissimi magna ex parte convellunt. Quam ille iniuriam non tantum aequo tulit animo, sed gaudio etiam ingenti perfusus, positus in terram genibus gratias egit Virgini Matri, quod a servis DEI dulcem adeo contumeliam pro beneficio retulisset. Nec solum multorum inopiam infinita caritate Rex benignissimus sublevabat, verum etiam varias corporis calamitates et morbos, pane, vel pomo, medicinae loco a se missis, profligabit: ita ut non solum pietate, iustitia, zelo fidei, benignitate omnibusque virtutibus esset ornatissimus, sed miraculorum gloria imprimis clarus haberetur. Quare emanabat iam tum per totum orbem Sancti Regis fama et insignis eius sanctitatis existimatio erat apud omnes celeberrima. Adveniente tempore quo DEUS servum suum de terreno regno ad coelestem transferret gloriam, febre Rex Sanctus corripitur. Itaque tempus obitus sui praesentis censens adesse, publica Regni negotia prudenter disposuit. Tum Sanctissima Eucharistia, magno pietatis sensu refectus, Extremam quoque Unctionem insita devotione percepit. Ad extremum circumstantibus eum ad lugentibus Episcopis et Proceribus, ille gaudio et exultatione coelesti plenus, ipsa Beatissimae Virginis in coelos assumptae solemnitate, uti precibus a DEO poposceret, ex hac vita sanctissime excessit. Corpus eius ad regiam

urbem Albam incredibili omnium luctu delatum est et in aede Divae Virginis a se constructa honorifice conditum. Ubi postquam annos omnino quinque et quadraginta, insigni miraculorum gloria coruscans, quievisset, post eius canonizationem, volens Sanctus Ladislaus corpus Sancti Regis sublevare, saxum sepulchro impositum nulla vi dimoveri potuit. Sed ubi divino responso monitus, Sanctus Ladislaus fratrem Salomonaem, quem vinctum tenebat, dimisisset, nullo labore lapis amotus, mira consertim suavissimi odoris fragrantia templum repletum est. Liquor vero admirabilis e sacro corpore ubertim manabat: qui licet assidue hauriretur ad aegrotorum generis omnis curationem exhauriri tamen haud poterat. Quo factum est, ut nemo quovis morbi genere affectus beneficiorum Sancti Regis expers abiret. Elevatis venerandis reliquiis, cetera quidem membra resoluta apparuerunt: sola manus dextra integra et ab omni corruptione immunis deprehensa, divino plane consilio, ut manus quae tot eleīmosynarum largitione in vivis nunquam fessa fuit, etiam post mortem florens et incorrupta permaneret. Migravit ex hac vita Sanctissimus Rex anno salutis millesimo tricentesimo octavo, decimo octavo Kalendas Septembres. Hac vero die corpus eius translatum est, qua etiam solemnitas celebrari consuevit.

#### LITERAE

#### SILVESTRI II PONTIFICIS MAXIMI AD SANCTUM STEPHANUM I HUNGARIAE REGEM.

Ex ecclesiasticis privilegiis concessis Hungariae legitimis Regibus:  
*desumptae ex archivio Traguriensis ecclesiae.*

Silvester servus servorum DEI Stephano Duci Hungarorum salutem et Apostolicam Benedictionem. Legati Nobilitatis Tuae imprimis vero carissimus frater noster Astricus, venerabilis Colocensis Episcopus, tanto maiori cor nostrum laetitia affecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, quanto divinitus praemoniti cupidissimo animo illorum adventum, de ignota nobis gente praestolabamur. Felix legatio, quae coelesti praeveſta nūncio atque angelico pertractata ministerio, prius DEI conclusa est decreto, quam a nobis audita fuisset. Vere non volantis neque currentis, sed secundum Apostolum, miserentis est DEI, qui teste Daniele mutat tempora et aetates, transfert regna atque constituit, revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta, qui lux cum eo est, quae, sicut docet Ioannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo gratias egimus DEO Patri et Domino nostro Iesu Christo, qui temporibus nostris invenit sibi David, filium Geisae, hominem secundum cor suum et luce irradiatum coelesti, suscitavit illum pascere Israël, populum suum, elatam gentem Hungarorum. Deinde laudamus pietatem Sublimitatis Tuae in DEUM et reverentiam erga Sedem Apostolicam, cui Divina patiente misericordia nullo meritorum nostrorum suffragio praesidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua Beato Petro, Apostolorum Principi, regnum et gentem, cuius Dux es cunctaque tua ac te ipsum per eosdem legatos et literas perpe-

tuum obtulisti, digno praeconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte testatus es et re vera talem de merito esse demonstrasti, qualem ut nos te declarare dignaremur studiose expetivisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut quem tot ac talia praeleari pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque DEUS ipse commendat, amplius commendamus. Quare, gloriose fili, cuncta a Nobis et Sede Apostolica exposcitata, diadema nomenque regium, Omnipotentis DEI ac Beatorum Petri ac Pauli, Apostolorum eius, auctoritate praemonente atque ita iubente eodem Omnipotente DEO, cum Apostolica et Nostra benedictione libenter concessimus, concedimus et impertimur. Regnum quoque a munificentia tua Sancto Petro adlatum teque una ac gentem et nationem Hungaricam praesentem et futuram sub protectionem Sanctae Romanae Ecclesiae acceptantes Prudentiae Tuae haeredibus ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum ac possidendum reddimus ac conferimus. Qui quidem haeredes ac successores tui quicumque, postea quam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis et successoribus nostris per se vel per legatos debitam obedientiam ac reverentiam exhibere seque Sanctae Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos, subditos esse ostendere atque in Catholica fide Christique Domini ac Salvatoris nostri religione firmiter perseverare eandemque promovere. Et qui Nobilitas Tua apostolorum gloriam aemulando, apostolicum munus, Christum praedicando eiusque fidem propagando gerere non est dedignata Nostraque et sacerdotii vices supplere studuit atque apostolorum principem prae ceteris singulariter honorare, idcirco et Nos singulari insuper privilegio Excellentiam Tuam Tuorumque meritorum intuitu haeredes et successores tuos legitimos, qui, sicut dictum est, electi atque a Sede Apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut, postquam tu et illi corona quam mittimus rite iuxta formulam legatis tuis traditam coronatus vel coronati extiteris, crucem ante se, apostolatus insigne, gestare facere possis et valeas atque illi possint valeantque et secundum quod Divina Gratia te et illos docuerit, ecclesias Regni tui praesentes et futuras nostra ac successorum nostrorum vice disponere atque ordinare, apostolica auctoritate te similiter concedimus, volumus et rogamus, sicuti in aliis literis, quas in communi ad te optimatesque Regni et cunctum fidelem populum per Nuntium Nostrum, quem ad te dirigimus, deferendis, plenius haec omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem DEUM, qui te de utero matris tuae vocavit nomine tuo ad regnum et coronam, quique diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, tibi dandum mandavit, augeat incremento frugum iustitiae Suae, novellas plantas Regni tui rore Suae benedictionis perfundit largiter Regnumque tuum tibi teque Regno servet incolumem; ab hostibus visibilibus ac invisibilibus protegat ac post terreni regni molestias in Coelesti Regno corona adornat aeterna. Data Romae VI Calendas Apriles, indicatione decima tertia. Hactenus Silvester II Pontifex Maximus. Hoc idem Regum Hungariae privilegium tempore Sigismundi Imperatoris et Regis Hungariae, una cum aliis compluribus Regni eiusdem libertatibus, confirmatum est in generali ac celeberrimo concilio Constantiensi iurisque iurandi religione roboratum.

## CAPUT TERTIUM

**Transylvania per Sanctum Stephanum Regem Hungariae ad Catholicam fidem convertitur****1. Stephanus Rex Catholicum Ducem praeficit in Transylvania**

Mansit Dacia Mediterranea seu Transylvania gentilibus addicta ritibus, Arianismo quoque infecta, usque ad annum Christi secundum supra millesimum, quo anno Sanctus Stephanus, primus Hungariae Rex Apostolicus, contra Bulgaros victoriosum bellum intra Transylvaniam gessit et victor Catholicum Ducem Soltam, proprium proavum, Transylvaniae praefecit fidemque Catholicam plantavit. De haec libet ipsa Bonfinii (ex Decade 2 libro 1 Rerum Hungaricarum) verba hic inserere.

**2. Transylvania divinitus a barbaro hoste protecta**

„Tantum sua in DEUM pietate praepolluit Divus Rex Stephanus, ut sub tutela DEI, auspiciisque divinis, Régnum geri experientia declararetur. Quadam nocte in somniis e coelo admonitus, continuo exirectus, cubiculo exsiliit. Veredarium, Praefectum legionis, e vestigio accitum, in Transylvaniam ulteriorem, Daciae partem, properare iubet, ut populos vicatim degentes admoneat imperetque facultates omnes in oppida minutissimaque loca conferant, quum Bessi, qui Istri ora colunt, ab omni religione alieni et Hungaricae gentis hostes acerrimi, Regni limitibus immineant. Vix Veredarius mandata peregit ac illi in tutum bona congesserunt, ecce barbari immites adventant, agros passim discursant, igni ferroque cuncta vastant, quos inveniunt, licet perquam paucos, sine aliqua sexus et aetatis ratione trucidant. Desides tantum aliquos invenere hique socordiae suae luere poenas et, nisi hoc monitu suis rebus ipse prospexisset, iam de Transylvania fuisset actum. Item alia successere bella, quae divina benignitate prospere gessit.

**3. Bellum pro religione adornatum.**

Anno Christi, anno salutis secundo supra millesimum, inter Stephanum et Gyulam avunculum intestina bella oriuntur. Is enim nepotem Christiana fide initiatum et Scythica religione desciscentem iniquissimo animo ferebat; quare non solum verbis saepe Regem acerrime corripuerat, verum etiam armis lacessere nitebatur, ut ad patrias hunc ceremonias revocaret. Ubi verbis se nihil efficere posse intellexit, a Transylvaniae montibus, cui praeerat, Hungariam quotidie incursionibus et rapinis infestat. Contra Rex pietissimus, ne cum suo sanguine manum conserere cogeretur, per legatos et feciales obsecravitque saepissime, ne in Scythica feritate persisteret, verum DEUM et Servatorem suum agnosceret; omnis tamen opera cludebatur. Proinde hunc Hungaris quotidie insultantem et varia detrimenta inferentem armis coërcere cogitur.



#### 4. Transylvania cum Duce Gyula subicitur Hungariae

Comparato ne mediocri quidem exercitu, in Transylvaniam contenditur, paucis mensibus universa capitur. Gyula cum uxore duobusque liberis postremo captus inque Pannoniam ductus. Pretiosissima regio et auri, vini, frumenti, pecorum omniumque rerum feracissima ex eo tempore Hungariae Regno est adiecta. Populi omnes, qui eum Daciae tractum incolebant, partim vi, partim sponte, in Christianam fidem assecti sunt. In avunculi regia ingens auri et argenti copia deprehensa, facinorissime comparata, ex qua basilicam Albae praestantissimam Rex erexit; quae quum saepe incendio fuerit obnoxia, hinc publica nata est opinio et explorata fides templum idecirco diro saepe incendio laborasse, quia ex pecunia scelestissime parta fuerit aedificatum. Gyula cum liberis et uxore inviti Orthodoxam fidem subiere baptismate expiati, a Rege vinculis liberati sunt et pro dignitate tractati.

#### 5. Gloriosa victoria de Cea, Bulgarorum duce.

Paulo post ingens e Bulgaris, Sclavorum genere natis, bellum exoritur. Quippe qui inferiore Mysia quondam positi, quae ultra citraque Istrum ad Euxinum usque Pontum effunditur, nunc iidem, Cea duce, finitimos adoriuntur, praedas abigunt ingentes, ac latrocinii et incursionibus late vagantes, pro viribus cunctos infestant, nunc Transylvaniam, nunc Hungariam diripere contendunt. Ad coercendam horum audaciam, magnum ubique delectum Rex habere cogitur. Nam non solum hostes, numero roboreque potentes, verum etiam locorum difficultate munitioneque inaccessibiles aditurus erat. Comparatis igitur magnis copiis, inferiorem Mysiam ingreditur, durum hostem invenit, saepius manu aequo Marte consertum. Bulgari tandem novissimo proelio terga vertunt lateque funduntur fuganturque. Ceas, eorum Princeps, caesus in pugna, castraque direpta, e quibus tanta praeda acta est, ut nemo spoliis hostium inoneratus abierit, tantaque auri, argenti ac lapillorum inventa copia, ut quicquid multis illis bellis congesserant, uno proelio amiserint.

#### 6. Spolia sub novo Duce Zoltan in sacros usus conversa

Et quum pugna in ulteriori Dacia, quam Transylvaniam dicunt, gesta fuerint, ditissimae regioni praefecit proavum, quem Zoltan nominabant. Hostilis praeda non in usum humanum, sed divinum conversa, aurum et argentum cum gemmis in cruces, calices, phialas et vestimenta pontificia erogatum, unde tot templorum ornamenta confecta sunt, ut ne minima quidem Pannoniae aedicula expers tam piaae fuerit prodigalitatis. "*Haec omnia ad verbum ex Bonfinio.*"

#### 7. Haereses irrepsere in Transylvaniam

Catholica deinceps mansit Transylvania Catholicisque regebatur per annos quingentos ducibus (qui *Vaivodae* Illyrico nomine appellabantur) donec ab anno Christi 1521 Lutherica, quae nunc se Evangelicam nuncupat, paulo post Ariana, quae Unitariorum nomen assumpsit et Calviniana Reformatorum dicta ac Anabaptistarum aliaque haeresum colluvie permisceretur.

### 8. Valachi ritus Graeci coeperunt renuntiare schismati.

Ritus *Graecus* inter Valachos (id est Moldavos et Transalpinos), Romanorum posteros, etiam per Transylvaniam copiose (sed Servorum nomine) diffusos, viguit a multo tempore, sed haeresi de processione Spiritus Sancti. Eucharistia et Purgatorio schismateque in Sedem Apostolicam contaminatus. Quo circa iam in anno Christi 1698, cum schisma eiurare ac se Ecclesiae Romanocatholicae unire decrevisset, Transylvaniam incolens Valachicus Clerus, quatuor sequentes articulos publice professus fuit. *Primo*, Romanorum Pontificem esse caput universale totius difusae per orbem ecclesiae. *Secundo*, panem azymum esse sufficientem materiam sumendae Coenae Dominicae, seu Sacramenti Eucharistiae. *Tertio*, praeter Coelum, sedem beatorum, et Infernum, carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animae nondum satis expiatae detinentur ac purificatur. *Quarto*, Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate personam, a Patre et Filio procedere.

### 9. Valachi nonnisi uniti recipiuntur inter Status Transylvaniae.

Anno Christi 1698 tam numerosi fuerunt in Transylvania Valachi, ut soli Ecclesiastici sub Episcopo Graeci ritus Albae Iuliae residente, coelibes simul et coniugati, animarum curatores bis millesimum numerum superarint. Non tamen recepti sunt Valachi in numerum Statuum Transylvaniae, nisi ut uniti cuidam e quatuor receptis religionibus: Catholicae, aut Lutheranae, aut Calvinianae, aut Unitariae. De Iudaeorum Zingarorumque faece hic nihil dixero, cum vagi sint et sordidi.

## CAPUT QUARTUM

### De primo Regum zelo pro Catholica religione eiusdemque varia fortuna

#### 1. Sanctus Stephanus Rex filio Emerico praecepta religionis tradit

Maximae curae erat Regibus Hungariae Sanctae Romanae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae firmitas et augmentum, quo circa multas leges et sanctiones tradebant populis. Primum quidem Sanctus Stephanus, Hungariae apostolicus Protorex, satagebat maxime, ut sancto educatus amabilissimus filius Emericus, Regni haeres, Catholicam pietatem sancte semper coleret, ideoque documenta, praecepta et consilia lectu dignissima ad id propositum ei transcripsit, ut videre est in Libro Decretorum Regum Hungariae, ex quibus placuit excipere.

#### 2. Quaedam documenta ex Libro Decretorum Regum Hungariae pro filio Sancto Emerico

Libro I Decretorum Sancti Stephani, capite 1 ita legitur: „Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet nisi fideles et Catholica fide imbutos accedere, idcirco sanctae fidei in nostris mandatis primum damus locum. In primis praecipio, consulo, suadeo, fili carissime, si regalem cupis honestare curiam, ut fidem Catholicam et Apostolicam tali diligentia et custodia conserves, ut omnibus tibi a DEO subiectis exemplum praebeas cunctique ecclesiastici, filii, merito te verum Christianae pro-

fessionis nominet virum.“ *Et capite 2:* „Fili mi, ferventi studio debes invigilare in Sancta Ecclesia de die in diem, ut potius capiat augmentum, quam detrimentum patiatur, inde quidem in primis reges augusti dicebantur, quia augebant Ecclesiam. Hoc et tu facias, ut tua corona laudabilior et vita beatior ac prolixior habeatur.“ *Capite 3:* „Carissime fili, seniores illos (*de Episcopis et Prelatis est sermo*) ita custodias sicut oculorum pupillas.“ *Capite 9:* „Observatio orationis maxima acquisitio est regalis salutis. Tu autem fili mi, quotiescumque ad templum DEI curris, DEUM adores cum Salomone filio Regis et ipse Rex semper dicas: -Emitte Domine sapientiam de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, qui sit coram te omni tempore.“ *Capite 10:* „Ego, fili mi amabilissime, dulcedo cordis mei, spes futurae sobolis, praecor, iubeo, ut per omnia et in omnibus pietate fultus, non solum parentelae et cognationi vel principibus vel ducibus sive divitibus seu vicinis et incolis sit propitius, verum etiam extraneis et cunctis ad te venientibus. Nam opus pietatis ad summam te ducet beatitudinem. Sis misericors omnibus vim patientibus, semper illud Domini in tuis praecordiis habens exemplum: Misericordiam volo et non sacrificium. Sis quoque humilis, ut DEUS te altum faciat, hic et in futuro. Sis pudicus et cunctos libidinis foetores sicut stimulum mortis evites.“

### 3. Alia documenta pro populo Hungarico.

Talia quoque carissimo populo Hungarico, quem paterno simul et fraterno amore dilexerat, decernebat. Mandavit (ibidem Libro 2, capite 4) ut Sacerdotum cura singularis haberetur. „Scitote, inquit, fratres cuncti, quod supra omnes laborant Sacerdotes. Unusquisque enim vestrum suum fert laborem proprium, illi vero et suum et singulorum. Ideo sicut et illi pro omnibus vobis, ita vos omnes pro eis summopere laborare debetis in tantum, ut, si necessitas fuerit, animas vestras pro eis ponatis.“ *Et capite 8, ut Dominica die templum frequentetur, sic praecipit:* „A Sacerdotibus vero et comitibus commendetur omnibus villicis, ita ut ipsorum visu omnes concurrant die Dominica ad ecclesiam, maiores et minores, viri et mulieres, exceptis illis, qui ignes custodiant. Si quis vero obstinatus remanebit, propter illorum negligentiam vapulent et depilentur.“ *Et capite 9 de observatione 4 temporum sic:* „Si quis quatuor temporum ieiunia, cunctis cognita, carnem manducans violaverit, per spatium unius hebdomadae inclusus ieiunet.“ Non absimilia leguntur in decretis aliorum regum Hungariae, quae omnia cum testimonio totius cleri et populi constituebantur.

### 4. Felicitas Transylvaniae florente religione Catholica.

Quamdiu nempe Transylvania Sanctae Romanae Ecclesiae, Matri nostrae, obediens parebat fidelemque sese filiam in mantenenda tuendaque Catholica religione exhibebat, tam diu amoena pace omnigenarumque rerum ubertate foecunda conspiciebatur religiosissimae pietatis in DEUM augendaeque semper divinae gloriae zelo illustrem faciem praefererat, eminenti quoque doctrina insignis apparebat, prout id exemplissimis aequae ac vetustissimis ecclesiasticarum religiosarumque

familiarum, templorum, scholarum atque eiusmodi ad augendum DEI gloriam institutam foundationum monumentis satis superque comprobatum habemus.

##### 5. Infelicitas eiusdem ob confusionem religionis.

„Invalescentibus autem sectarum monstris consecuta (ut loquitur Transylvanus scriptor Laurentius Töppeltinus) ira Domini temerario bello patriam nostram viris exhaustit, emasculatam civilibus armis confundit, armavit principem contra principem, principes adversus regnum concitavit, regnum cum principe suo commisit, patres in filios, servos contra dominos, fratrem in fratres et plerasque familias in viscera saevire permisit; omnes omnium facultates occupanti dedit, quod a spoliis superfluit incendio sustulit, e strage reduces captivos tradidit, saepe in hostium castis vendidit Transylvanum unum pro fumibulo tabacchi aut pro flagello uno aut scutica, qua urgerentur caeteri. Et cum cuncta, quae pati poterant se perpeccos crederent Transylvani, passi sunt pestem magnum aerumnarum praemium.“ Sic Töppeltinus ad verbum in sua epistola dedicatoria.

## CAPUT QUINTUM

### De Episcopatibus et Decanatibus Transylvaniae

1. Quatuor Episcopales in Transylvania Sedes nominatae a scriptoribus: Albensis, Milkoviensis, Cibiniensis et Bistritziensis.

Episcopales Romanocatholicas Sedes quatuor in Transylvania pro varietate templorum lego nominatas *Albensem*, quae etiamnum durat licet diu caruerit episcopo: fuisse 24 Decantibus illustrem, quidam scripserunt. Plura de hoc Episcopatu lege supra libro 1, prolegomeno 6, numero 3. De Transylvanicis ecclesiis, pagina 71, haec ex manuscriptis Hermanni, Ministri Mediensis, transcripsi: „Ecclesia post Albensem prima erat, quae ad perfectionem veniebat, *Milkoviensis*, cui etiam Episcopatus officium concredebatur, reliquae his duabus subicebantur, unde etiam factum, ut tota Transylvania antiquitus duos Episcopos haberet, *Albensem* et *Milkoviensem*, quorum ille Archiepiscopum Collocensem, hic Strigoniensem agnoscebat Metropolitanum.“ Et pagina 115: „Non solum vastaverant, sed et funditus deleverant *Milkoviam* Tartari. Eius iura episcopalia Decanatus et Capitulares Cibinienses (ad edicta Papae et Regis) sibi retinebant. Habentur acta in arca Capituli Cibiniensis.“ *Cibiniensem*, cuius Episcopus etiam Valachiae Ecclesiae ius dicebat, atque olim Collocensi Archiepiscopo parebat. De hoc, supra libro 1, prolegomeno 7, numeris 5 et 6. Alii quoque *Bistritziensem* Episcopatum nominant eiusque Episcopum in celebri monasterio Bistritziensis civitatis habuisse sedem et fuisse regularem, aiunt. Sed certiora dabunt in appendice huius libri.

## 2. Decanatus et capitula.

Clerus Transylvaniae reservavit postremis temporibus Decanatus quinque, cum octo Capitulis: *primo, Bistriciensem*, qui habebat duo capitula: *Bistriciense*, cum 23 pagis regiis, et *Regense*, cum pagis 30. *Secundo, Cibiniensem*, qui ex tribus capitulis constabat: *Sebesiensi*, vulgo *Saassebes*, aut *Millenbach*, quo Sasvaros seu Bros pertinebat; item Serdahely seu Reismark et regii pagi 17, *Cibiniensi* primo, cum regiis pagis 23, Cibiniensi altero, quod *subrogativum* dicebatur, continens sedes Saxonicales duas, Gros Schink et Lessink, cum pagis regiis 22. *Tertio Brassoviensem* seu *Coronensem* habentem capitulum *Barzenk*, cum pagis regiis 13. *Quarto Kisdensem*, cum *Segesvariensi*, aliter dicto *Schösbürgensi*, Capitulo et pagis 48. *Quinto Sasiniensem*, cum capitulo Medienensi et pagis regiis 36. *Idem refert Reichersdorff, Tröster et Krekvitz.*

## 3. Superintendens Unitarius, Luthericus, Calvinianus et Episcopus Valachorum.

Acatolici Superintendentes, qui per abusum se Episcopos nominant, tres hic sunt: *Arianus seu Unitarius, degens Claudiopoli*, Luthericus, habens sedem in oppido *Birthalmen*, Calvinianus, residens Albae Iuliae; extra quam urbem residet Graeci ritus Episcopus Valachorum, qui cum clero suo anno Christi 1698 schisma eiuravit ac in Romanae Ecclesiae gremium receptus est.

## CAPUT SEXTUM

## De religiosis Ordinibus, qui olim in Transylvania florere

## 1. Difficultas scribendarum sacrarum foundationum.

Quam infeliciter memoriae veteres interierint, facile colligimus ex actis Synodi diaecesanae Strigoniensi anni 1629, recussis anno 1664, ubi explicatur quam difficile fuerit ecclesiarum sacrarumque Ordinum foundationes conquirere et conscribere, quas, cum fidentius habere mihi non licuerit, ex iisdem actis deprompsi sequentia.

## 2. Abbatiae duae.

*Egeres Abbatia Sancti Benedicti* Kolos Monostor Beatae Virginis Transylvanensis Diaecesis in Comitatu Colosiensi, penes Claudiopolim. Ex pagina 103.

Abbatia de Gyero-Monostor, in Transylvanensi diaecesi, ex pagina 107: haec dubia an fuerit Sancti Benedicti.

## 3. Ordo Sancti Dominici.

*Conventus Dominicanorum*: Albae Iuliae Beatae Mariae Virginis, Cibinii, Bistritzii, Claudiopoli, in veteri civitate. Ex pagina 116.

## 4. Monasteria Sancti Francisci Seraphici.

*Monasteria Ordinis Sancti Francisci* Albae Ecclesiae, alias Feher Egház in bonis Dominorum Haller, in Transylvania.

Brasso seu Coronense, in Transylvania.

Bistriziac, in Transylvania. Datum ab Episcopo Transylvaniae pro Minoritis anno 1336. Ex pagina 117.

Claudiopolitanum, in Transylvania.

Fori Siculorum, alias Székely Vasárhely, datum Observantibus anno Christi 1446, olim Conventualium fuit.

Felfalu, in Transylvania, in bonis Dominorum Kendi. Ex pagina 118.

Hunyadense, alias de Vaida Huniad, BEATAE MARIAE Virginis, quod Ioannes de Hunyad pro Eremitis Sancti Augustini inchoaverat, sed Mathias Rex absolvit et a Paulo II obtentum, dedit Observantibus.

De Jenő Karansebes.

Kesztel, exstructum a Stephano, vaivoda Transylvaniae.

Lippa, Sancti Ludovici Episcopi, fundatum anno Christi 1327 a Ludovico I, Rege Hungariae, Sancti praedicti consanguineo.

Megyense. Ex pagina 119.

Orsuense, ad Portam Ferream.

Sasvaros, in Transylvania, fundatum ab Elisabetha Regina, anno 1370 circiter. Ex pagina 120.

De Somlyo.

BEATAE MARIAE Virginis Visitatae, in Chikensi, Sede Siculorum, in Transylvania, Provinciae Sancti Salvatoris.

Nempti, in Transylvania.

Tovis, in Transylvania, extruxit Ioannes de Hunyad ob victoriam de Turcis obtentam ad sanctum Emericum, prope Albam Iuliam. Ex pagina 121.

De Udvarhely, in Transylvania. Ex pagina 120.

## 5. Coenobia Ordinis Sancti Pauli I Eremitae.

Ordo Eremitarum Sancti Pauli I Eremitae, Vicarius de Erdely, sub quo prior de Székely Háza Beatae Mariae Virginis in Transylvania fundatur, anno 1370.

De Pokafalva, in Transylvania, fundavit anno 1416 Ladislaus, Praepositus Cibiniensis: hoc claustrum postea datum fratribus de Observantia. De Totfalud (alias de Szent Mihály Köve), prope Albam Iuliam, fundatur per Goblinum Episcopum Transylvaniae anno 1348 augeturque per Emericum Episcopum, eius successorem. Ex pagina 124.

De Pathalan seu Pathlan, in Transylvaniae partibus fundatum anno 1328 a Domino Chibax de Mindszent. Ex pagina 128.

Inter *incognita* ponitur Monasterium Claudiopoli Monialium.

## 6. Felicitatis Transylvaniae ruina.

Me quidem recordatio pulcherrimi status patriae dulcissimae reficit. Quid enim vel ad aspectum iucundius, vel ad securitatem tutius esse potuit, quam videre tot castrorum acies ordinatis pro salute Hungariae exubantes, quot fuere religiosorum coenobia? Hi nimirum oratione, lacrimis, ieiuniis, omnibus vitae religiosae exercitationibus DEI favorem impetrabant, iram avertabant, murum se pro domo DEI apponebant. Ita in pulchritudine pacis, in requie opulenta, protectione DEI coeli commorabatur gens nostra. Nunc (proh dolor!) dissipatis lapidibus Sanctuarii, cultis religiosorum virorum exanimibus, (qui tamen non legibus exclusi,

sed metu irruentis Turcae) deum a trepidis fugientibus vacua relicta sunt Monasteria et inter regum pro corona pugnās a viris saecularibus occupabantur et occupata nonnulla aegre per Clerum recuperabantur; destructis nempe Monasteriis, migravit una DEI favor ac indignatio Omnipotentis innumeris cladibus, tanto iam saeculi tractu, patriam hanc mersit et adhuc manus eius extenta. Rogemus omnes, quae ad pacem sunt patriae ac, ut iuxta dies pristinos fiat nobis DEI praepotentis clementiam, exoremus. *Sic in praefato synodali libro. Adde quod in Reichersdorff, „Chorografia“ legitur: Chertz ad Alutam situs pagus olim abbatia, a Cherusiis nomen derivat, et Chertzrelandt ac Chertzregsbürg nomen vicinia habet.*

## SYLLOGIMAEORUM TRANSYLVANAE ECCLESIAE LIBER TERTIUS

### DE TRANSYLVANIS IN HAERESIM LUTHERANAM PROLAPSIS

#### Praefatio

Prima haereseon secta, quae irrepsit in Transylvaniam, fuit Lutherica, sub Vaivoda seu Praefecto Transylvaniae Ioanne Zapolia, Scepusiensi Comite, Stephani Palatini Hungariae regiaeque coronae custodis ac Astridae filio. Ambitiosus erat atque crudelis genii in iuventute Ioannes et, quia sub annum Christi 1514 in quospiam rebelles, non tam Christiani iudicis, quam tyranni partes egit, duplici a DEO poena est castigatus: altera quod, vix inchoato proelio, illico in turpem a Turcis fugam sit actus; altera quod sacrosanctam Eucharistiam, dum ea a sacrificante sacerdote elevabatur, tot biennio videre non potuerit, diutius non visurus, nisi assiduis suis suorumque precibus et ieiuniis (erogato ab iisdem in egenos religiosaque domicilia magno auri pondere) DEUM placavisset. Legatur Isthvanfius in „Historia Hungariae“ de hoc Ioanne. Hoc libro tertio acta Lutherizantium in Transylvania referentur a sua origine, prout usque ad finem vitae praefati Ioannis de Zapolia continuabuntur.

Vale.

### INDEX LIBRI TERTII

#### De Transylvanis in haeresim Lutheranam prolapsis

*Caput primum. Haeresis Lutheri Cibinium infertur.*

1. Lutheri reformatio 6 punctis constans. 2. Doctrina Lutheri. 3. Libelli Lutherici proferuntur in Transylvaniam. 4. Cibinienses duo canonici in fide vacillant. 5. Lutheranae conciones Cibinii habere coeptae et schola. 6. Plebs in pagis seducitur. 7. Propter bella non impediabatur haeresis.

*Caput secundum. De regia adversus Lutheranismum resistentia.*

1. Conatus regius inefficax adversus haeresim Cibirii. 2. Lutherani poenae puniri capitis decernuntur. 3. Regius mandatum de comburendis libris Luthericis.

*Caput tertium. De Archiepiscopali adversus Lutheranismum resistentia.*

1. Archiepiscopi Strigoniensis mandatum de excommunicandis Lutheranorum dogmatum sequacibus. 2. Litterae Archiepiscopales ad Cibiniensem et Coronensem Decanos contra Lutherizantes.

*Caput quartum. De pertinaci Cibiensium favore erga Lutheranos.*

1. Seditionis periculum ob excommunicationis publicationem. 2. Advenae Lutheranae amanter foveantur. 3. Regiis mandatis magistratum non paret. 4. Apostatae Pauperis Scholastici pervicacia. 5. Decretum de comburendis Lutheranis. 6. Poena apostatae resipiscenti iniungitur et libri Lutherani comburuntur. 7. Rex mandatis contra Lutheranos instat. 8. Litterae regiae comminatoriae ad Regium Iudicem. 9. Bellum Catholico Statui nocivum.

*Caput quintum. De clero Transylvanico ad castra coacto et querelis venerabilis Capituli Cibiniensis contra Lutheranos.*

1. Edictum regium ad castra clerum evocans promulgatur in Transylvania. 2. Litterae Capituli Cibiniensis de audacia Lutheranorum.

*Caput sextum. De Hungarica clade ad Mohaczi in proelio Turcico.*

1. Ludovicus II Rex Hungariae in Turcico proelio ad Mohacz submergitur et cladem patitur exercitus. 2. Clades Episcoporum Hungariae. 3. Iocoseria prognosis Hungariae cladis. 4. Misericordia Illustrissimae viduae Dorotheae Prinyi sepelitur caesus exercitus. 5. Solimani effatum de septem Episcoporum sibi ellatis capitibus.

*Caput septimum. De Ioannis Zapolia Vaivodae regia coronatione et abalienatis Hungariae Episcopatibus.*

1. Ioannes Zapolia, Transylvanus Vaivoda, sollicitat coronam Hungariae. 2. Comitia pro coronatione regia indicuntur. 3. Coronatur Ioannes, insalutato Ferdinando, ius haereditarium ad Regnum habente. 4. Coronatur legitime Ferdinandus. 5. Episcopatus tradebat Ioannes Zapolia laicis.

*Caput octavum. De Ioannis Zapolia zelo contra Lutheranos.*

1. Conscientia stimulat Ioannem ad impediendam haeresim Lutheranam. 2. Litterae Ioannis ad Cibinienses contra admissam haeresim. 3. Dissensio de rege legitimo impediens effectum mandati Ioannis. 4. Transylvania Catholicis auxiliis destituta.

*Caput nonum. Ioannes Zapolia devictus exulat et, Transylvania Turcis subiecta, coronam Hungariae recuperat.*

1. Ioannes Regno exulitur. 2. Per legatum opem Turcicam contra Ferdinandum exposcit. 3. Transylvaniam facit Turcis tributariam. 4. Sacra Hungariae corona datur Solimano, Turcarum Imperatori. 5. Ioanni regnum et coronam tradit Solimanus. 6. Paulus Episcopus et Petrus Prinyi gratiam recuperant.



*Caput decimum. Catholicorum Cibiniensium a Lutheranis proscriptionem calamitas Hungarotransylvana consequitur.*

1. Utriusque sexus Catholici proscribuntur Cibinio a Lutheranis. 2. Martinus Fölker pro servanda sua praebenda apostavit. 3. Bellum et pestis in Transylvania. 4. Paulus Archiepiscopus foederatur Ferdinando Regi et Petrus Prinyi miseram vitam in carcere finit. 5. Solimanus in transnando Dravo periculum.

*Caput undecimum. Ioannis de Zapolia foedus, conubium, mors.*

1. Episcopatus clero restituuntur et Luthericolae e plebaniis Hungaricis proscripti in Transylvaniam serpunt. 2. Occiso uno Transylvaniae praefecto, succedunt duo. 3. Puncta pacis inter Ferdinandum Regem et Ioannem Interregem. 4. Matrimonio iungitur Ioannes. 5. Dissensio inter partes Ferdinandi et Ioannes in Transylvania. 6. Divitiae rusticorum. 7. Ioannis de Zapolia morbus et mors.

## LIBRI TERTII DE TRANSYLVANIS IN HAERESIM LUTHERANAM PROLAPSIS CAPUT PRIMUM

### Haeresis Lutheri Cibinium infertur

1. Lutheri reformatio sex punctis constans.

Marthinus (sic!) Lutherus, Germanus apostata et haeresiarcha, anno Christi 1517 Witenbergae perturbare coepit Ecclesiam et perturbavit usque ad annum Christi 1546 (educatis interim ex moniali apostata quatuor prolibus: Ioanne, Martino, Paulo et Margareta) eoque anno infelix obiit. Reformatorem Ecclesiae se esse pactavit et reformationem sex punctis conclusit. 1. Reformavit unionem Christianam: suos enim sequaces pertraxit ab unitate sententiarum et dissensiones, ob quas rixae vigent et odia. 2. Obedientiam Pastori debitam: seduxit enim oves Christi ad licentiam arietandi et recalcitrandi. 3. Castigationem corporis: mortificationes enim cum sensualitate commutavit. 4. Reformavit ieiunia quae gulae subiecit. 5. Castitatem, quam ad carnis delicias migrare facit. 6. Vota: nam se et plures votis obstrictis, a salutari vinculo ad apostaticam dissolutionem transtulit.

2. Doctrina Lutheri.

Docuit idem Lutherus errores plurimos, sed praecipui sunt: hominem solam fidem iustificari; liberum arbitrium periisse per peccatum; Papam esse Antichristum; in eucharistia remanere substantiam panis cum corpore Christi; indulgentias nihil valere; non esse Purgatorium; per sacramenta non dari gratiam; peccata, cum remittuntur, non deleri, sed non imputari: et alia id genus multa.

3. Libelli Lutherici perferuntur in Transylvaniam.

Et huius modo doctrinae typo mandatis libellis (in quibus non solum Sanctam Romanam Ecclesiam Lutherus calumniabatur, sed et Sacrarum Literarum textus corrupte venenoseque interpretabatur) corruptela

animarum adaugebatur ac late diffundebatur. Nam post apostasiae Lutheri biennium (nempe anno Christi 1519) tales libelli per mercatores ultro citroque commeantes, etiam Cibinium (Hermanstatt) Transylvano-saxonum metropolim deferabantur.

#### 4. Cibinienses duo canonici in fide vacillant.

Hos ex venerabili Cibiniensium Canonicatu Mathias Colomannus Plebanus caeteris diligentius volebat atque intra spatii biennii ab obedientia ritibusque Sanctae Romanae Ecclesiae adeo defecisse visus fuit, ut, cum anno Christi 1521, 8 Augusti moretur, a Cibiensibus *Fundamentalis* Luthericae sectae propugnaculi lapis, idem alter Moyses esse praedicaretur. Huic demortuo Plebano successit in Cibiniensi Parochia Mathias Ramaschi, vir propensi (ut fama ferebat) in Lutheri sectam animi, qui cum praefato Colomanno privatim lectitaverit ac discutere solitus fuerat Lutherana dogmata. Hoc Mathia existente Plebano, Lutheranismus tanta sumpserat incrementa, ut encomii loco nomen alterius Iosue, sicut praedecessor Colomannus alterius Moysis, a Lutheranis reportaret, teste Lutherico historiographo Mathia Miles in historia saeculi 15 (turpi errore scripto pro saeculo 16) dicta „Wirg Engel“, pagina 13.

#### 5. Lutheranae conciones Cibirii haberi coeptae et Scholae.

Plurimum autem nocuit Ioannes Surdaster, apostata monachus, qui primus publice conironabatur contra Romanam Ecclesiam sub Dio extra Cibiniensem urbis portam Sanctae Elisabethae dictam, ubi Effigies Christi Crucifixi ab annis centum honorabatur. Sed frequentior aurae intemperies novit Senatum et Centumviratum Cibiniensem, ut non iam sub Dio apud praedictam Sanctam Crucem, sed intra Sanctae Elisabethae templum in urbe Surdaster apostata concionari iuberetur. Quod cum executioni mandatum fuisset (frustra contra vim Magistratus, maxime Regii Iudicis Marci Penflinger, nitente venerabili Capitulo Cibiniensi) tanta auditorum copia ad templum Sanctae Elisabethae concurrebat, ut Catholica reliqua templa perpaucum auditorem numerarent. Effecerunt etiam apostatae monachi, ut scholae instituerentur Cibirii in domo Weissdenhauss dicta, in foro sita, protegente eam domus incola Ioanne Czukas seu Hecht, viro senatorio iurato. Hic explanabatur catechismus Lutheri et docebantur contiunculae haeretici missaque Germanice canebatur.

#### 6. Plebs in pagis seducitur.

Excurrebat apostatae Dominicis diebus etiam ad filiales (etsi contra niterentur Parochi) ecclesias ac rurali plebi idem venenum, profana quorundam de Magistratu auctoritate freti proponebat eo effectum, ut plebicula non tantum Romani Pontificis obedientiae omnino abrenuntiarent, sed propriis etiam Parochis insultaret idque sub nomine ac praetextu Christianae evangelicaeque libertatis.

#### 7. Propter bella non impediabatur haeresis.

Quamvis autem ad Archiepiscopum et ad Regem Hungariae cleri Catholici querelae iterarentur, ardentium tamen bellorum tumultus non patiebatur, ut hoc tempore talia complanerentur negotia. Fuerant nimirum haec tempora variis bellis nimium quantum inquieta, nam et Bel-

gradum anno Christi 1521, 29 Augusti Turcis cessit imperante Solimanno, qui Turcarum Imperator. eodem anno Serviam, Valachiam utramque (Transalpinam nempe et Moldaviam) item Transylvaniam exercitu suo inundavit, ut Vaivoda Ioannes de Zapolia eius metu, sua confamilia Budam profugerat Nobilitateque Transylvana arcibus sese includente. Plebs plurima, quae sese in silvis non abdiderat, abducenda tyranno reliqueretur. Hanc ob causam Transylvani, omnia templa per modum castellorum ab anno Christi 1521 munire coeperunt, in quibus protegit defendique possent. Vide Mathiam Miles in „Wirg Engel“, pagina 12. Quisquis ergo hodiedum Transylvaniam inviseret pleraque templa vallo turribus moenibusque munita aspiciet. Non tamen tam liberi sese Cibinii diffundere potuit Lutheranismus, ut non gravissimis a rege Hungariae ac Archiepiscopo inhibitionibus poenisque coërcerentur.

## CAPUT SECUNDUM

### De regia adversus Lutheranismum resistentia

#### 1. Conatus regius adversus haeresim Cibinii inefficax

Convalescente Lutheranismus frequenter hisce annis recurrebat supplex clerus ad Ludovicum II, Hungariae Regem et Ladislaum Solcanum, Archiepiscopum Strigoniensem, primatem Regni Hungariae et Legatum natum, delatum Ludovici Consiliarium ac dilectum Moderatorem creatum Sancti Martini in Montibus, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterem Cardinalem et Patriarcham Constantinopolitanum. Rogabantur ipsi a venerabili Capitulo Cibiniensi, ut huic malo in tempore obviaretur. Et vero tam sollicite conati sunt Rex cum Archiepiscopo obviare, ut anno Christi 1522 in Transylvania communi consensu dogma Lutheri damnatum esse audieretur, sed Cibinii incassum labor vertebatur.

#### 2. Lutherani poena capitis puniri decernuntur

Anno Christi 1523, in Diaeta Budae ad Festum Sancti Georgii Martyris celebrata, propositum fuit a regnicolis postulatum in haec verba: „Omnes Lutheranos et illorum fautores ac factioni inhaerentes, tamquam publicos haereticos hostesque Sacratissimae Virginis Mariae, Maiestas Regia poena capitis et ablatione bonorum omnium suorum, veluti princeps Catholicus punire dignetur.“ Hoc postulatum insertum est Constitutionibus regis Ludovici regioque assensu firmatum, locum obtinuit articuli quinquagesimi quinti. Interea mors Hadriani VI Pontificis Maximi coëgit Archiepiscopum Ladislaum Romam ad Clementis VI electionem discedere. Quo tempore Marcus Iudex Regius negotium prorogabat apud Regem usque ad Ladislai reditum. Apostaverunt etiam duo Concionatores ex venerabili capitulo Cibiniensi, Ambrosius Slesita et Conradus Weich.

#### 3. Regium mandatum de conburendis Luthericis libris.

Anno 1524 resumebatur strenue id negotium religionis, cuius acquies ut manifestior sit, placet ipsas Ludovici Regis literas Cibiniensibus inscriptas proponere, quae sic habent:

„Ludovicus, DEI gratia Rex Hungariae et Bohemiae, fidelibus nostris prudentibus et circumspectis Magistro ac Iudicibus Regio et Sedis cacterisque iuratis senioribus civitatis nostrae Cibienensis salutem et gratiam nostram.

Non sine animi nostri displacentia accepimus dogmata sacrilega cuiusdam Martini Lutheri, iampridem a Sede Apostolica una cum sequacibus eius excommunicati, adeo mentes hominum ubique obcaecasse, ut veritate evangelica institutisque Sanctorum Patrum relictis, doctrinae eius et libelli per cum conscripti, vulgo ab omnibus in medio vestri manuteneantur et legantur et observantur. Quo quidem assertiones et libelli eiusdem Martini Lutheri, cum sint contra veritatem ipsam et sint etiam per Sanctam Sedem, ut diximus, Apostolicam iampridem excommunicati, vehementer nobis displicet vos quoque concives et mercatores vestros aliosque istius civitatis nostrae inhabitatores, libellos eosdem vendere, emere et tractare iam coepisse. Cum autem vestigiis divorum Regum Hungarorum, nostrorum praedecessorum, inhaerendo officii nostri intersit fidem et religionem nostram Christianam (ne ab haereticis excommunicatis eadem invadatur et contaminetur) ubique in hoc Regno nostro et partibus eidem subiectis illibatam conservare, volumus et Fidelitatibus Vestris harum serie firmissime, sub amissione omnium bonorum vestrorum, committimus et mandamus, quatenus, statim acceptis praesentibus, tam in ista civitate nostra Cibiniensi, quam in locis aliis vobis subditis, assertiones, figmenta et libellos praefati Martini Lutheri, tamquam excommunicatos vicatim et per singulas domos requiri inventosque publice comburi faciatis et deinde publicare palamque facere debeatis, ne quisquam cuiuscumque demum conditionis existat eiusmodi dogma, assertiones et libellos eosdem vendere, emere, legere et tractare, sub poena confiscationis bonorum omnium suorum praesumat. Alioquin committimus rursus vobis seriusius, ut rebellos quosque et contumaces ac huiusmodi mandati nostri transgressores, ut, si qui reperti fuerint, poena praemissa puniatis, auctoritate nostra regia praesentibus vobis in hac parte concessa mediante, aliud in praemissis nullo modo facturi, praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum Budae, feria quarta proxima post Domenicam Laetare, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.“

## CAPUT TERTIUM

### De Archiepiscopali adversum Lutheranismum resistentia

1. Archiepiscopi Strigoniensis mandatum de excommunicandis Lutheranorum dogmatum sequentibus.

Adidit Archiepiscopus Ladislaus Solcanus ecclesiasticam salutari negotio efficaciam misitque in Transylvaniam ad Cibiniensem et Coronensem suae iurisdictionis Clerum, sub dato 15 Augusti 1524 mandatum, ut clerus et monachi in parochiis, monasteriis, templis et capellis, per singulos Domini festosque dies de cathedra publicari faciant excommunicationem contra eos, qui libros Lutheri lectitaverint, emerint, vendi-

derint eiusve doctrinam secuti fuerint, ac filialem Sanctae Matri Ecclesiae oboedientiam non praestiterint atque uti refractarii debitum sacerdotibus ex clero honorem reverentiamque gravius violaverint. Literas, quas subicimus, perlegere libeat.

## 2. Literae Archiepiscopales contra Lutheranizantes ad Cibiniensem et Coronensem Decanos.

„Ladislaus miseratione divina Archiepiscopus Ecclesiae Strigoniensis, loci eiusdem Comes Perpetuus, Primas et Legatus natus Regni Hungariae ac Summus Secretarius, Cancellarius Regiae Maiestatis etc. dilectis nobis in Christo venerabilibus et honorabilibus Decanis parochialiumque ecclesiarum Plebanis seu eorum vices gerentibus, ubilibet sub Decanatibus Cibiniensi et Brassoviensi iurisdictionis nostrae Strigoniensis existentibus, salutem in Domino et nostris infrascriptis firmiter obedire mandatis.

Noveritis nos non sine gravi animi nostrae dolore et displicentia ex relatione fidedignorum intelxisse quomodo essent nonnullae tam ecclesiasticae quam seculares utriusque sexus personae sub Decanatibus, Parochiis et Plebanatibus vestris, quae, Sathana instigante, errores sacrilegos et impia cuiusdam Marthini (sic!) Lutheri dogmata, iampridem per sanctam Sedem Apostolicam una cum auctore et sequacibus eius haereticis, condemnata asserere, probare, publicare et defendere auderent et quod abominabilius est, cantilenas quasdam in probrum et contumeliam eiusdem Sanctae Sedis Apostolicae totiusque Cleri confingere et ore sacrilego decantare; excommunicatos a communione fidelium (veluti oves morbidas, ne totum corrumpant ovile) segregatos, ad divina officia participationemque Sacramentorum ecclesiae admittere; Sacerdotes DEI, quorum misterio Christiani sumus, improbas lernas et inhonestos homines appellare in mortemque eorum assassinos subordinare; diebus ieiuniorum carnibus, caseo, ovis butyro, lacticiis contra bonos mores Christianorum et prohibitiones Sanctorum Patrum vesci; ius canonicum astu et figmentis daemoniorum non a spiritu divino inventum ac iurisdictionem ecclesiasticam tolli prorsus et extinguere oportere; oblationes ad altare Dominicum haud quaquam necessarias, confessionem, quae potissima poenitentiae pars et negligendam et privilegia clericorum in totum abroganda fore; aliaque his similia portenta et blasphemias asserere libellosque et tractatus super erroribus et haeresibus eiusdem Martini Lutheri editos, emere, vendere, legere et conservare temere et sacrilegaliter praesumerent, propter quod maioris excommunicationis sententiam iampridem a sanctissimo Domino nostro Clemente Papa Septimo in eos publice latam, eo facto damnabiliter incurrisse diagnoscuntur. Cum autem ex debito officii nostri pastoralis obnoxii simus, haereses huiusmodi pestiferas extirpare et evellere a fidibusque fidelium eliminare. Vobis omnibus et singulis Dominis praescriptis, in virtute sanctae obedienciae et sub maioris excommunicationis sententiae poena in literis apostolicis expressa et promulgata firmissime commitimus et mandamus, quatenus statim acceptis praesentibus ac, dum cum praesentibus fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, quolibet die Dominico et festivo in ecclesiis seu monasteriis et capellis vestris, dum ibidem populi multitudo ad divina audienda convenerit, maneatis et requiratis in Domino omnes et singulas, tam ecclesiasticas cuiuscum-

que gradus, status et conditionis et praeeminentiae, quam seculares cuiusque sexus personas, sub Parochiis et Decantibus vestris residentes, sub praescriptis maioris excommunicationis et anathematis sententiae poenis in praememoratis literis apostolicis expressis, ne errores, haereses, assertiones et dogmata Lutheri sequaciumque ipsius praefata ac praeinsertas in DEUM et homines blasphemias ullo modo dicere, asserere, laudare, probare, docere, cantare, descendere et publicare libellos et tractatus super erroribus ibidem editos emere, vendere, legere et servare eumentibusque, vendentibus, docentibus, asserentibus vel servantibus auxilium, consilium vel favorem praestare, palam vel occulte, directe vel indirecte, quovis modo praesumant, prout et serenissimus quoque Dominus Ludovicus, Hungariae et Bohemiae Rex, Dominus noster generosissimus, identidem per literas et nuncios suos speciales seriusius, Magistris Civium totique communitati incolarum civitatum et districtuum Cibiniensium et Brassoventium faciendum commisit et mandavit. Praefatos vero libellos et tractatus Lutheri et sequacium eius, pestifera dogmata eiusmodi habentes ubicumque repererint, dilacerent et comburent sine mora comburique procurent. Qui si id fecerint, bene quidem: alioquin dictam maioris excommunicationis et anathematis sententiae poenam per literas apostolicas iam (ut praemissum est) contra rebelles et contumaces eiusmodi promulgatam, omnes et singulos utriusque sexus, qui in his culpabiles extiterint, publice alta et intelligibili voce in ecclesiis vestris parochialibus monasteriisque et capellis, coram populi multitudine singulis diebus Dominicis et festivis incurrisse declaretis, publicetis et denuntietis et per alios declarari, publicari et denunciari faciatis, tam diu a publicatione et denuntiatione huius modi non cessantes, quousque tales sic rebelles et contumaces ad cor reversi, mandatis nostris huius modi immo verius apostolicis, cum effectu paruerint et de medio absolutionis opportuno sibi ipsis provideri fecerint et post haec seriem monitionis, declarationis, publicationis et denunciationis vestram huius modi et quidquid in praemissis feceritis, nobis suo modo conscientiose rescribatis. Datum Budae in festo Assumptionis Gloriosissimae Virginis Mariae. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.

Franciscus Wylak Secretarius, ex mandato subscripsit.“

## CAPUT QUARTUM

### De pertinaci Cibiniensium favore erga Lutheranos

#### 1. Seditionis periculum ob excommunicationis publicationem.

Eum iam contemptum apud refractarie insolentem Cibinii populum devenit Sanctae Ecclesiae auctoritas, ut Plebanus Cibiniensis, nisi evidens periculum vitae aut seditionis incurrere vellet, a publicanda in refractarios excommunicatione abstinere necesse habuerit, immo urgentibus cogentibusque ipsimet senatoribus debuerit pseudo praedicatores admittere ac tollerare, qui (nefas) plurimum Cibinii diligebantur et fovebantur; nisi forte dicas, Plebanum (nam de affectu erga Lutheri dogmata suspectus erat) Matthiam Ramaschi cum Lutheri assectis coaluisse.

## 2. Advenae Lutherani amanter foverunt.

Apostatae Cibinium adeo promiscue et prompte intromittebantur, ut quoque ad officia mechanicaque artificia reciperentur, quae nonnulli sacris ordinibus initiati et Diaconi tractare non dedignabantur. Adventabant praeterea complures Lutherani homines, professores etiam, tum clerici cum laici, quibus Cibinii amanter hospitio receptis, publicum haereseos exercitium a magistratu concedebatur iisdemque de omnibus ad victum et amictum necessariis providebatur.

## 3. Regiis mandatis magistratus non paret.

Etsi vero Cibiniensis Magistratus ac ipsemet etiam Marcus Penflinger (Regius Iudex, Comes Saxonum) a Rege Ludovico decretum acceperint, severe praecipiens ut omnino de Lutheranam haeresim a Sede Apostolica in toto orbe Chirstiano damnatam a Transylvania eliminari et extirpari facerent, ipse tamen Marcus monachum apostatam advenientem ex Saxonia, Georgium Slesitam, cum altero monacho oriundo ex Silesia Paupere Scholastico dicto, domi suae alebat protegebatque ac domesticum praedictorem esse iubebat, nam Ioannes Czukas seu Hecht utrumque e domo sua nuper, quamvis invitus, dimittere coactus fuit.

## 4. Apostatae Pauperis Scholastici pervicacia.

Post haec, praefato Regio Iudice Budam, ad Regem Ludovicum negotiorum causa profecto, amplissimus Magistratus ad instantiam reverendissimorum Decani, Plebani et Capitularium regium decretum, ut executioni mandaretur postulantium, apostatam Iudicis Regii praedictorem, suo totiusque urbis decreto, excedere quidem, sed inefficaciter iussit, opposuit enim se apostata aiens, discedente Domino Regio Iudice, se usque ad eius Buda reditum domi suae remanere iussum fuisse auditusque est insuper audaci pertinacia oggannire seditiosus impostor ac insulse dicere: „Etiam crepent Decanus, Plebanus ac Domini Senatores, ad despectum eorum ego Cibinii manebo“.

## 5. Decretum de comburendis Lutheranis.

Publice quoque per Hungarica comitia anno Christi 1525, in campo Rakos fuit doctrina Lutheri anathemizata emanavitque Decreti Regii Articulus VI, ut qui Lutheri sectae adhaerent, ex Hungaria atque appertinentibus regionibus pellerentur, immo ad rogam pervicaces condemnarentur, his verbis: „Lutherani omnes de Regno extirpentur et ubicumque reperti fuerint, non solum per ecclesiasticas, sed etiam per saeculares personas libere capiantur et comburantur“. Verum inter civiles per Germaniam et Panoniam seditiones et discordias optatum negotia ecclesiastica effectum vis uspiam fortiebantur.

## 6. Poena apostatae resipiscenti iniungitur et libri Lutherici comburuntur.

Eodem anno novus de clero deprehensus est apostata, cui nomen Ioannes Clemens ex Medies, artium baccalaureus. Hunc degradaturus sacer clerus politico magistratu obtulit, qui, si regium mandatum ad caeterorum correctionem exequivoluisset, pertinacem contagiosumque Lutheri assecclam per ignem e medio tollere debuisset, verum ad multorum intercessionem concessa est ipsi vita eidemque converso iniunctum pro satisfactione, ut per ternas dominicas publice in templis *Cibinii*, *Schellenbergae* et in *Gireslau* Sanctae Romanae Ecclesiae e cathedra deprecaretur, errorem revocaret ac Lutheri doctrinam abrenunciaret. Hoc

praestito, libros haereticos ubilibet corrasos apud infamam columnam ex mandato regio, instante etiam clero, Cibinii combussit carnifex.

7. Rex mandatis contra Lutheranos instat.

Plurima tamen Luthericolis connivente Magistratu novum tandem et severum mandatum a Rege Ludovico ad Regium Iudicem Marcum Penflinger missum fuit, ut ipse vi officii sui invalescentem passim Lutheranam haeresim omni studio eliminare ac eradicare conaretur. Literae mandatoriae et comminatoriae Regis Ludovici sunt, quae sequuntur.

8. Literae Regis comminatoriae ad Regium Iudicem.

„Ludovicus DEI gratia Rex Hungariae et Bohemiae, etc.

Egregie, fidelis nobis dilecte, commiseramus tibi prateritis mensibus, per alias literas nostras, ut capita et principes Lutheranae haereseos, quae dudum in illis partibus et civitatibus Transylvanicis pullulare coepit, coërceres in pristinam fidem et religionem tua opera et diligentia reduceres, qua in re ad eo tepide et negligenter te gessisse accepimus, ut iam non secreto is error in paucorum mentibus versetur, sed palam ac publice vagari radicesque altius egisse dicatur, id quod nos ulterius pati nulla ratione volumus. Quare Fidelitati Tuae harum tenore serio committimus, sub privatione officii tui et amissione omnium bonorum tuorum, ut iam, vel deinceps, in illis partibus et civitatibus nostris, eius sectae homines diligenter et religiose inquirere inquisitosque et in errore deprehensos secundum eorum culpam et delictum castigari facere debeas et tenearis. Secus igitur, si et rebus tuis et voluntati nostrae consulere velis, nulla ratione feceris, alioquin poena illorum in te redundabit. Datum Budae, feria V ante festum Beatae Mariae Magdalенаe, anno 1526.“

9. Bellum Catholico Statui nocivum.

Has optimi Regis Ludovici cum Archiepiscopo Strigoniensi cooperationes intercepti bellum Hungarico-Turcico, quod clade immemorabili Christianitatem Hungaram afflixit et rem Catholicam in statum commiseratione dignum deiecit, quem duo sequentia capita indicabunt.

## CAPUT QUINTUM

### **De clero Transylvanico ad castra coacto et querelis venerabilis Capituli Cibininsis contra Lutheranos**

1. Edictum regium ad castra clerum evocans promulgatur in Transylvania.

Hic infelicissimus est ille annus ecclesiae Transylvanae: nam hoc anno 1526 Solimanno, Turcarum Imperatore, cum ducentis armatorum millibus contra Ludovicum II in Hungariam penetrante, colligebatur ad resistendum pagano hosti numerosus exercitus cui etiam Episcopus cum clero Transylvanico iussu Regis adiungi deberunt. Ea propter Ioannes de Zapolia, Transylvaniae Vaivoda, promulgavit in congregationibus et comitiis edictum, ut Plebani in persona (erat tum Episcopus Ioannes Gostoni, successor Nicolai Gerendi) cum omnibus suis clericis et scholasticis ad castra contra Turcas egrederentur ac in tota Transylvania in singulis duabus parochiis unus tantum presbyter vel diaconu, aut alius clericus, pro sacra administratione relinqueretur. Hoc edictum, Statui



ecclesiastico gravissimum, commovit venerabile Capitulum Cibiniense, ut eminentissimo Cardinali Ladislao Solcano, Archiepiscopo Strigoniensi, missis per expressum oratorem supplicibus literis anno Christi 1526, hoc ipsum et plura gravamina dolenter exponeret, nulla tamen propter tempestatem belli consecuta efficacia.

## 2. Literae Capituli Cibiniensis de audacia Lutheranorum.

Querelarum tenor hic est: „Anno Domini 1526 in civitate Cibiniensi ubi fundamentum est Lutheranae haeresis, in domo magistri Ioannes Czukas facta est quadam schola per quendam scholasticum, ibi canitur symbolum Nicaenum Germanica lingua et aliae cantilenae missam et divina officia concernentes: has uxor et tota familia canunt et nituntur missam facere Germanicam. In domo eiusdem fovetur unus apostata, qui fuit Ordinis Praedicatorum, nomine Georgius, qui dicit se absolutum ab habitu et religione, tamen hactenus non exhibuit absolutionem praedictam, prae se ferebat. Iste irrequisito pastore in ecclesiis filialibus praedicat, sedens populum ab oboedientia, a ieiuniis et praeceptis ecclesiasticis, dicendo illa, quae placent populo, volens se iungere ad officium praedicatorum et pecunias non accipere, ita ut possit plebem seducere; is missus est per Ambrosium Silesitam quondam praedictorem Cibiniensem, ex partibus illis, ubi degit Lutherius, ut populum retrahat ab oboedientia Romanae Ecclesiae et suorum praelatorum ecclesiasticorum. Idem apostata manifeste gloriatur se accepisse mandatum a Domino Magnifico Iudice Regio, ut Cibinii maneat, donec ipse de Buda redeat, cum tamen Magistratus totius civitatis suo decreto ad petitionem Dominorum Capitularium iusserit, ut civitate exeat, ipse vero nihil curavit et dixit animo impropere: «Etsi crepent Plebanus et Decanus ac etiam Domini Senatores, ad despectum eorum ego Cibinii manebo».

Timenda est seditio in brevi. Adveniunt plerique istius pessime sectae Lutheranae homines, professores, clerici et laici in Cibiniensem civitatem. Nam ibidem fovetur et diliguntur, extra civitatem vero nullibi per totam Transylvaniam admittuntur, illi propter despectum praelatorum ecclesiasticorum ibidem honeste a Cibiniensibus tractantur. Senatus Cibiniensis sollicitat apud Plebanum, ut huiusmodi praedicator, aut pseudopraedicator ad praedicandum admittantur et, cum non eis possit resistere Dominus Plebanus, necesse habet eos admittere. Ita isti prophetae et mali praedicatorum populum in errorem ducunt. Idem apostata in conviviis mercatorum et civium informat et manifeste plus quam 400 annos Evangelium fuisse absconditum; Sacerdotes dicit nullam veritatem praedicasse; Christianos esse liberos libertate evangelica, nec esse obnoxios inventionibus humanis et institutis Patrum, etiam propter huiusmodi sacrilegas doctrinas ipsi Lutherani in praedicto Cibinio venerantur a mercatoribus ferme omnibus, velut idolum et trahuntur cum intimo affectu ad convivia, etiam ad altercationem usque, cum quo isto vel isto cive cibum debeant capere; ex qua officiositate ipsi cornua coeperunt erigere. Item destructa est fere iurisdictio ecclesiastica, nam paucissimi illam experiuntur quandoquidem omnes prope modum, rigore iussionum et minis ultimi supplicii inferendi, forum declinant, dicentes: se habere iudices saeculares, se nolle coram sacerdotibus litigare et quidem in causis mere spiritualibus, ut sunt matrimoniales et inter clericum et laicum. Fundamentum istius disturbii qui sit, orator dicet.

Idem, oratorem praesentem Magistratus constituit privare beneficio suae plebaniae, sua dumtaxat auctoritate fruiturus. Apostatas tolerant, artificia mechanica eos addiscere permittunt, etiam apostatis in sacris Ordinibus vel sub Diaconatu existentibus et in eis magnam habent complacentiam. *Resonet* cantilenam solitam in die Nativitatis Domini ad totius solemnitatis eiusdem laudem et maximam iucunditatem, Lutherani mali homines Cibinienses transmutarunt in linguam Germanicam et in non modicum scandalum immiscentes scurillia verba, cum tamen illud canticum sit a principio iuste et devote in praeconium recentis Puerinati Filii Omnipotentis DEI contextum. In ecclesia Beatae Elisabeth in civitate Cibiniensi est quidam monachus Griseus Ioannes Surdaster, indoctus et fere idiota, similiter Slesita, qui in omnibus suis sermonibus debacchatur in statum ecclesiastici ordinis lutheranizans; hic fovetur ab ipsis negotiatoribus, velut lucem propinans cum tamen fere omnes suae praedicationes tenebrae sint et erroneae, nil nisi venenum Luthericum prae se ferentes. Vocamur in proelium ad Turcas et mandatur nobis sub poenis in congregationibus Regni Transylvanensis descriptis, hoc est poena capitis et omnium bonorum videlicet, belligerare debeamus contra libertatem ecclesiasticam, ut in toto Regno ad duas possessiones unus solummodo clericus aut presbyter remaneat, reliqui vero Plebani cum suis scholasticis et clericis omnibus bello Turcico personaliter interessent; non curassent facere huiusmodi constitutiones contra clericos, cum tamen ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; sicque multae animae ibunt in perditionem ex pastorum defectu. Petunt humiles Capitulares Reverendissimae Dominationis Vestrae salutare ac acceleratum remedium. Thesaurarius Nicolaus de Gerend et alii Regni aulici in curiis Plebanorum descendunt, victum ibidem tam pro se, quam pro iumentis distrahunt, consumunt, vi etiam rapiunt, clericis dicas imponunt eosque miserabiliter vexant, minantur etiam bonorum spoliationem. Excommunicationis vero omnino apud nos extincta est et pro nihilo reputatur. Plebanus Cibiniensis, Reverendissimus Mathias Ramaschi, non auderet etiam sub vitae privatione aliquem renuntiare excommunicatum. Decanum Capituli Cibiniensis Thanhauser, pastorem Horrei Maioris et Vicarium Reverendissimae Dominationis Vestrae quidam negotiator Cibiniensis uno aut altero equite in campo fecit circumveniri, angustari, terreri et molestari verbis: et sic tantum non verberatum equites ipsum reliquerunt. Ecclesiam quondam parochialem in parvo Horreo Dominus Magnus Regius Iudex Marcus Penfflinger fecit violari, fores eiusdem violenter demoliendo, nulla Reverendissimae Dominationis Vestrae Vicarii, Decani habita auctoritate, nam adeo invaluit ista pestis Lutherana, ut etiam in civitate, ubi Lutheranus degit, testibus de his partibus venientibus et nobis referentibus, magis saevire non possit. Cibinienses seducunt populum villis circum circa et in sedibus Saxonicalibus, inficiendo eosdem dicta haeresi perfida, ita ut rustici insultent pastoribus eorum. Caeremonias sacrosanctas in festo Palmarum et magnae sectae feriae, omnino despiciunt et benedictiones comestibilium die Paschatis nihil facientes. Villam unam Christianam nomine Bongarth Cibinienses cives devastarunt et Saxonibus mandarunt, ut dicta villa exirent et ita indirecte Plebanum Petrum Pillatorem Plebania sua spoliaverunt, qui propediem cogetur stipem mendicare. Oblegia consueta in quatuor festi-

vitatibus anni sacerdotibus non dant, sed nec pullos gallinaceos decimales, immo quando Domini Capellani Cibinienses de more antiquo alias laudabiliter observato, vadunt pro dictis pullis colligendis probris eos efficiunt et verba stulta evomunt. Die sacratissima Corporis Christi per totam octavam, prout ordinavit Sancta mater Ecclesia, Plebanus Cibiniensis facit solemnes processiones cum Corpore Christi mane, in summa missa, et sero, in Vesperis: tum quidem nonnulli Cibinienses blasphemiam magnam perpetraverunt et cives aliqui dixerunt: «Sacerdotes nostri credunt DEUM factum esse caecum, ex quo tot luminaria incendunt.» Alii dixerunt: «Sacerdotes nostri arbitrantur DEUM esse puerum, quae velit instar puerorum duci et portari in brachiis vetulorum circum circa per civitatem», concludentes esse stultitiam et sacerdotum fraudulentorum deceptionem. Detrahunt Sanctissimae Mariae Virgini; exequias mortuorum explodunt; horas canonicas aiunt esse stultam temporis contritionem, volentes Sanctimoniales et alias personas religiosas a servitio divino retrahere, dicentes Christum docuisse nos tantum orare *Pater noster qui es in Coelis* etc. Et nunc in domo Magnifici Regii Iudicis Cibiniensis manet apostata, qui de domo Domini Magistri Czukas eiectus est.

Reverendissime Archipraesul, his molestiis fatigati, oramus per viscera misericordiae DEI nostri succurrat nobis patrocinio suo Dominatio Vestra, qui etiam nimis attriti iniuriis, hiscere vix volumus, quandoquidem, si modo Reverenda Dominatio Vestra auctoritatem suam silentio praetergressa fuerit, postea super Reverendissimam Dominationem Vestram et super nos indignos capellanos fulminabitur illud verbum: *Facti sumus opprobrium hominum et abiectio plebis.* Hoc usque literae datae anno Christi 1526 nomine venerabilis Capituli Cibiniensis ad Eminentissimum Cardinalem Ladislaum Solcanum, Archiepiscopum Strigoniensem.

## CAPUT SEXTUM

### De Hungarica clade in Turcico proelio ad Mohacz.

1. Ludovicus II, Rex Hungariae, in Turcico proelio ad Mohacz submergitur.

Anno Christi 1526, die 26 Augusti calendarii veteris, qui Decolationi Sancti Ioannis Baptistae sacer est, in proelio Turcico ad Mohacz oppidum Episcopatus Quinqueecclesiensi subiectum, Ludovicus II, Hungariae Rex, praestantissimae indolis atque ingenii Princeps, ac omnibus corporis atque animi dotibus insignis, in uligine Krasso dicta, lapsu equi suffocatus, nullo relicto haerede interiit. Cum rege vero in eodem proelio occubuit cum Hungarico 26 millium exercitu magna pars Episcoporum, flos Magnatum ac robur Nobilitatis. Nomina Episcoporum attingit Isthvanfius, libro 8, pagina 87, hisce verbis:

2. Clades Episcoporum Hungariae.

„Periere eo proelio partim in acie, partim vero inter fugientium decem millia equitum ac circiter XII millia peditum: e nobilitate vero clari nominis amplius quingenti; praeterea fere omnes Episcopi cum

Ladislao Solcano, Archiepiscopo Strigoniensi, et cum Paulo Tomoraeo, Archiepiscopo Collocensi, Franciscus Perenius Varadiensis, Blasius Paxius Jauriensis, Franciscus Czaki Chanadiensis et Georgius Palnia Bosnensis, iuris scientia clarus. Philippus More, Quinqueecclesiarum Episcopus, non ita pridem e legatione ad Senatum et Rempublicam Venetorum obita reversus, quam multis acceptis lethalium vulnorum plagis ex acie sese proripuisset, inter vepres et querceta secus viam concidit et expiravit tonsorique, qui socius periculi aderat, opera frondibus et ramis arborum tectus, post hostium discessum inventus fuit ac sepulchro conditus.“ Haec *Istvanfius*. *Cum his interierunt etiam Episcopi Nitriensis, Zagradiensis et Vaciensis.*

### 3. Iocoseria prognosis Hungariae cladis.

Cladis huius quasi praescius, Franciscus Perenius, Episcopus Varadiensis, ingeniose dixisse memoratur, cum diem, quo pungnabitur viginti sex millium martyrum Hungarorum, celebri memoriae, qui pro Christiana religione occubuissent, fastis inscribendum ideoque ad eam rem impetrandam Stephanum Brodericum Cancellarium, si superstes et incolumis e proelio evadat, Romam mittendum esse.

### 4. Misericordia illustrissimae viduae Dorotheae Prinyi sepelitur caesus exercitus.

Cum autem caesorum adeo grandis numerus esset, ut tetro recentium tot cadaverum odore non campi solum, sed aër ipse infici et corrumpi videretur ac post discessum hostium tam magna canum multitudo ad ea voranda confluxisset, ut etiam vivi homines viatoresque illac iter facientes absque vitae periculo transire non posse dicerentur, Dorothea Canisiana, Emerici Pereny palatini vidua, singulari pietati foemina, Christianorum hominum, qui pro tuenda patria fortiter accubuis, sent, quadringentos homines pecunia sua conduxit, qui strata et iacentia passim corpora, ne ea feris et alitibus atque canibus lanianda ac voranda relinquerentur, ingentibus factis scrobibus sepelienda curavit.

### 5. Solimanni effatum de Episcoporum sibi allatis capitibus.

Interea Budam ad Solimannum, Turcarum Imperatorem, qui ibi ad Danubium castra metabatur, allata sunt Episcoporum capita, quae torvo vultu despiciens Solimannus, caput Ladislai Solcani (Cardinalis et Archiepiscopi) avaritiae reum arguit, quod suis divitiis non satis Regem adiuvisset. Caput Pauli Tomoraei Archiepiscopi Collocensis (huius proelii Campi Ducis) arguit insipientiae, quod paucas copias numerosissimo Exercito opponere praesumpisset. Caput Francisci Pereny, Varadiensis Episcopi, laudavit, quod non erronee in bellico Regis consilio hancce cladem praesagiisset, ut supra, numero 8 memoravimus. Caetera quae aspexit capita, imperitiae militaris Imperator incusavit.

## CAPUT SEPTIMUM

### De Ioannis Zapolia Vaivodae regia coronatione et abalienatis Hungariae Episcopatibus.

1. Ioannis Zapolia, Transylvanus Vaivoda, sollicitat coronam Hungariae. Advenerat ante Turcicum proelium, quod intempestivo consilio deproperatum fuit, Ioannes de Zapolia, Transylvaniae Vaivoda, Segedi-

num (ad Tibisci et Marusii confluentem, nobile liberumque oppidum) cum suis copiis e Siculis, Hungaris, Saxonibus, Valachis adiunctoque clero conflatis, in quo exercitu 40 millia hominum censebantur et ecce de infelici ac lugubri adversae pugnae exitu inopine fama advolavit et aequae attonitos metuque perpulsos perterruit ac perturbavit. Ioannes Vaivoda suo usus consilio, nobilitas animos statim largitione munerum aliisque bonis sibi devincire et, ut in Regem eligeretur procurare coepit. Voto potitus est celerem Solimanni cum suo victorioso exercitu a spoliata Metropoli Hungariae Buda Constantinopolim versus reditum, quem hiems imminens et Asiatica quaedam seditio domum revocabat.

#### 2. Comititia pro coronatione regia indicuntur.

Tocaium ad suam arcem oppidumque se primum Ioannes contulit et copias in subiectis campis castra metari iussit. Hic sibi Petrum Perenium, qui secum dignitatem custodis coronae habuerat, ita devinxit, ut non solum coronae regiae potestatem obtulerit, sed etiam proceribus ac eodem convocatae nobilitati suadendo hortandoque auctor fuerit, ut Ioannes Vaivoda (praeterito Ferdinando, Archiduce Austriae, qui Annae, sororis Ludovici, cladem ad Mohacz passi Regis, maritus erat) Rex Hungariae declaratur, itaque est, ut comitia Albam Regalem coronando Regi ad Divi Martini ferias indicerentur. Inde itum Budam, quam, cum vacuum miroque modo deformatam Ioannes vidisset, eam expurgatam, praefecto imposito firmavit ac illice Albam ad comitia a se illegitime convocata, iter aggressus est.

#### 3. Coronatur Ioannes, insalutato Ferdinando ius haereditario ad Hungariae Regnum habente.

Ut primum ista Albae Regali celebrata comitia Ioannem regem declaraverunt, ipse Ludovici II, Regis Hungariae, a Cetesky, regio cubiculario ac armigero, genere Bohemo, in palude Mohaciensi repertum ac protractum corpus, solenniter in aede Deiparae sepelivit. Quo facto, peragebatur coronatio praesentibus fere omnibus proceribus, etiam iis, qui Ferdinando Austriaco Annaeque, coniugi eius, in occulto fovebant; sed, quia in superiorem Germaniam profectus, procul aberat Ferdinandus, quid haberet accipiendi regno animi, non sine summo dolore ignorabant. Eam autem coronationem e pontificalibus libris depromptam, Paulus Vardanus, quem Vaivoda Archiepiscopum Strigonii declaraverat ac Stephanus Brodericus, Episcopus Vaciensis Ioannesque Statilius, quem ex Praeposito veteris Budae Episcopum Albae Iuliae fecerat Ioannes solitis ceremoniis perfecere, *die 11 Novembris, anno Christi 1526*.

#### 4. Coronatur legitime Rex Ferdinandus.

Sed cura Reginae Mariae, Ludovici Regis viduae coniugis ac Emerici Priny, Hungariae Palatini, effectum, ut in coactis Posonii novis legitimisque comitiis Ferdinandus, Caroli V Caesaris ac Mariae, viduae Reginae Hungariae, frater, in Germania absens, votis et magna omnium ordinum publicae laetitiae acclamatione Rex Pannoniae declararetur. Postea, anno Christi 1527 ad Calendas Novembres Albam Regalem pro exsequenda sua coronatione (occupata prius Buda metropoli) alia comitia indixit. Eo praefatus Ferdinandus, quinta die eius mensis, qui fuit dies Solis adstipulante et coronam proferente Perenio, de manu Pauli Vardani Archiepiscopi Strigoniensis, solenni more accepit; nullis

praetermissis laetitiae hilaritatisque signis, quae in eiusmodi pompis et celebritatibus fieri et usurpari consuevere.

5. Episcopatus tradebat Ioannes de Zapolia laicis.

Annus intercesserat inter illam Ioannis et hanc Ferdinandi coronationem; quo intercedente, Ioannes, illegitimus Rex, Hungaricos aliquos Episcopatus bene meritis officialibus, nullo sacro ordine initiatis, cum inexplicabili rerum divinarum iniuria et Praefecti Temesvariensis dignitate cohonestarat, contulit Varadiniensem Episcopatum; sic Ioannem Saracenum, sive Szeceni, Quinqueecclesiensem Episcopum esse iussit; sic Valentinum Török Nitriensem; sic Paulum Baguitium Jauriensem; sic Gasparum Berusithium Chanadiensem. Etiam Petrus Prinyi, post obitum Tranyipani antistitis, vi occupata Agria, Episcopatum eius sibi addixit et post obitum Ioannis Statilii, Franciscus Bodo Albam Iuliam. Vide Isthvanfium, libro 12, pagina 130, colona 2.

## CAPUT OCTAVUM

### De Ioannis Zapolia zelo contra Lutheranos.

1. Conscientiam stimulat Ioannem ad impediendam haeresim Lutheranam.

Clero Hungariae Catholico plurimum in Hungaro-Turcica pugna ad Mohacz attrito cum pluribus ad laicos dominos translatis Episcopatibus, educto ad castra clero Transylvaniensi et novo creato hic Vaivoda Petro Prinyi, Ioannes de Zapolia illegitime coronatus Rex Hungariae, sic suum catholicum pro Sancta Ecclesia zelum, quem iam non mediocriter vitaverat, conscientia stimulante explicaret sequens mandatum regio nomine ad Magistratum Cibiniensem transmissit.

2. Literae Ioannis ad Cibinienses contra admissam haeresim.

„Ioannes DEI gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, etc. prudentibus et circumspectis, Magistro Civium ac Iudici et Iuratis Civibus civitatis nostrae Cibiniensis salutem et gratiam. Ad auditum maiestatis nostrae non sine gravi animi nostri displicentia venit, inveniri sceleratos quosdam, honoris et salutis propriae innumeros, in civitate ista nostra Cibiniensi, qui haeresim illam Lutheranam, a Sede Apostolica in toto orbe Christiano damnatum, interdictam et explosam non solum legere, asserere et probare, verum etiam publice laudare, profiteri, publicarique in vilipendentiam et contemptum sacrosanctae fidei nostrae Catholicae Sanctaeque Sedis Apostolicae manifestum non erubescerent. Cum autem ex iuncto regiminis nostri officio nobis incumbat, populum fidelem nutu divino moderamini nostrum subiectum, a labe et peste eiusmodi haeretica aliisque erroribus, quantum cum DEI adiutorio possumus tueri et praeservare: mandamus Fidelitati Vestrae harum serie firmissime, aliud habere nolentes, quatenus statim acceptis praesentibus omnes et singulas personas saeculares civitatis et districtus Cibiniensis, cuiusque status, gradus et conditionis et praeeminentia existant, quae praescriptam haeresim Lutheranam legere, asserere, laudare, profiteri vel publicare praesumerent, auctoritate nostra regia, vobis in hac parte concessa, captivare, vincire et bona universa ipsorum, quocumque nomine cen-

seantur dispositioni Maiestatis nostrae reservare aliisque viis et modis, quibus vobis expedire videbitur, easdem de praedicta haeresi perfida retrahere et coërcere debeatis ac teneamini. Scripsit praeterea Reverendissimus Dominus Paulus, Archiepiscopus Strigoniensis, ad Decanatum et Communitatem Plebanorum aliarumque personarum ecclesiasticarum etiam regularium cuiusvis ordinis, civitatis et districtus nostri Cibiniensis ut, si quipiam ex iis labe haeretica praescripta infecti essent, auctoritate sua ordinaria per Commissarium suum specialem ad id transmissum et decanum Cibiniensem emendaretur. Volumus itaque et Fidelitati Vestrae harum serie firmissime committimus et mandamus, quatenus dum et quando per Commissarium eundem et Decanum requisiti fueritis, omni ope, favore et auxilio eisdem adesse debeatis ac teneamini. Secus nulla ratione facturi, praesentibus perlectis, exhibentis restitutis. Datum Strigonii, in festo Conversionis Sancti Pauli, anno 1527.“

3. Dissensio de Rege legitimo impediens effectum mandati Ioannis.

Hoc mandatum illegitime coronati regis Hungariae non sortiebatur effectum, quia inter Proceres dissensio erat, an a Ioanne desciscere et iuxta voluntatem Reginae ac Palatini Hungariae ad Ferdinandi Archiducis legitime eligendi regis partes accedere debeant. Ignari itaque etiam Cibinienses, cuius partes amplecti oporteret, id mandatum exsequi nec volebant, nec consultum esse putabant. Immo ne impediri posset a clero Catholico Lutheranae reformationis negotium, omnes potius Romano-catholicos homines ex civitate propulsare satagebant.

4. Transylvania Catholicis auxiliis destituta.

Rex Ioannis brevi etiam a Ferdinando Austriaco cedere coactus fuit. Sed nec Petrus Prynus, actualis Vaivoda (cui simul manus coronae regiae concredabatur) Transylvaniam adesse potuit, nam ad partes Ferdinandi a regina et Palatino traductus, pro eodem coronando ad comitia proficisci necesse habuit. In hac ergo rerum serie Archiepiscopo quoque Strigoniensi Paulo de Varda vanae fiebant sine viribus irae.

## CAPUT NONUM

### **Ioannes de Zapolia devictus exulat ac Transylvania Turcae subiecta, Coronam Hungariae recuperat.**

1. Ioannes regno exiit.

Legitime coronatus rex Ferdinandus, cum Ioannem de Zapolia armatum se per fugam intellexisset, exercitum e Germanis et Hungaris collectum, ad eum insequendum emisit mense Martio 1528, quem demum plane devicit, in fugam egit, regno exiit ac in Poloniam profugum exulare coëgit. Quia vero in exercitu Ioannis non pauca erat Hungaria ei adhaerens nobilitas, inter has et Ferdinandi partes crudele oriebatur dissidium, seditio, intestinum bellum, rapinae, sacrilegia, mutuae caedes, transfugia, scelerum impunitates caeteraque civilibus bellis oriri sueta malorum genera idque tum in Hungaria, tum in Transylvania. Sub haec tempora exilium pertaesus Ioannes ac desperato similis, Iunonium illud ex Marone usurpans: „Flectere si nequeo superos Acheronta movebo“.

## 2. Per legatum opem Turcicam contra Ferdinandum exposcit.

Ad Portam Ottomanicam recurrit et ad id negotium delegit Hyeronimum Laschum Siradiensem Palatinum, virum inter Sarmatos ab illustri nobilitate eruditaque, virtutis nomine clarissimum, qui non invitus in Ioannis gratiam legationem Bysantium susceperat, ut Solimannum, Turcarum Imperatorem, adversus Ferdinandum in Hungariam invitaret.

## 3. Transylvaniam facit Turcis tributariam.

Ubi vero intellexit legationem feliciter esse peractam pollicitumque Solimannum, se in persona sub vernum tempus anni 1529 ad Hungariae confinia cum exercitu adfore, Ioannes eodem tempore quanto potuit Hungarorum comitiva ipso quoque Lascho comite et ex millium tumultuario exercitu septus, prope Belgradum accessit Solimannum primusque post tot praedecessores Vaivodas Transylvaniam anno Christo 1529 Tyranno iniquissime tributariam fecit.

## 4. Sacra Hungariae corona datur Solimanno, Turcarum Imperatori.

Sub idem quoque tempus sacram Hungariae coronam Solimannus inopino casu obtinuit: nam Petrus Prinyi, sacri diadematis asservator (non amplius Vaivoda Transylvaniae, nam ei Stephanus Bathori successit post coronationem Ferdinandi) coronam non ad solitam arcis Vicegradensis custodiam detulerat, sed contra leges Regni apud se detinerat. Postquam ita Solimannus a Ioanne Interrege invitatus *ingenti* exercitu in Hungariam venisset, Perenius coronae sibi que metuens, cum tota familia et regia suppellectile ipsaque sacra corona ex arce Soklos, tutoris permansionis conservacionisque causa, in Saros Patak fuga contendebat iamque pervenerat ad pagum iuxta fluvium Saarvicz, Kaidacz nomine, noctem illic acturus. Cuius causa cognita, ii, qui a parte Ioannis Interregis fuerant, nocte intempesta pagum invadunt ipsumque Perenium cum uxore, liberis et omni thesauro, cui sacrum diadema adiunctum erat, capiunt captumque cum diademate, Solimanno ad obsidionem Viennensem cum trecentis Asiaticae potentiae millibus, illac transeunti offerunt. O! indignum facinus. Cum autem irrita obsidione inglorius cum attrito exercitu Vienna Solimannus rediret et ad Budam subsistereto, in arcem ex castris se contulit Ioanneque ibidem Rege constituto et in clientelam patrociniūque suscepto regium diadema, quod Hungari sacrum appellant, sceptrumque et reliqua insignia atque ornamenta ei tradidit ac adstantibus Ibraim et Purpuratis, quos Veziros vocant, acciri iussit Proceros Hungaros, Ioannis partes secutos, brevique, ut solebat, sermone Ioannem atque illos compellans, per interpretem ita locutus fertur: „Recte abs te factum est, Ioannes Rex, quod calamitate oppressus ac a Germanis regno eiectus, confugiendum ad me existimaveris meamque opem imploraveris, quam secundum DEUM immortalem tibi adfuisse nunc expertus es. Itaque postquam bellum, quod reducendi tui gratia susceperam prospere gestum atque confectum est, hodierna die in fratrem et amicum meum te recipio Regemque Budae et Hungariae declaro ac opem tutelamque meam imposterum quoque polliceor. Habes hic coronam sceptrumque ac cetera regia ornamenta, quae, ut accipias ac beneficiis mei memor esse velis partoque mea opera regno diu fruaris et illud ad posteros feliciter transmittas hortor et cupio Vobis vero Proceres aequae iubeo, ut, nisi ultorem hunc gladium experiri velitis



(ensem quo erat accintus manu ostendens), huic Regi vestro omnem honorem deferre et obedire contendatis."

6. Paulus Episcopus et Petrus Prinyi gratiam recuperant.

Quibus dictis hortatus est Ioannem mitioribus verbis (quod in barbaro Principe haud parum mirere) ut Paulo Vardano, Archiepiscopo Strigoniensi, quem secum Vienna reducerat ac Petro Perenio, quem iure belli captum Ioanni donaverat, clementer parcere eosque in gratiam recipere vellet. Quo Ioannes facile concessit et utrumque iuncta dextra in pristinum dignitatis locum restituit ditionemque omnem possidere liberaliter permisit, tametsi de eorum fide et constantia non parum dubitare videretur. Nec diu moratus Imperator Solimannus, his ad hunc modum peractis et Gritto ac duobus trierachis, cum tribus millibus Turcarum, apud Ioannem relictis, iter institutum proseguere et iustis passibus Constantinopolim reverti maturavit.

## CAPUT DECIMUM

### Catholicorum Cibinensium a Lutheranis proscriptionem calamitas Hungaro-Transylvana consequitur.

1. Utriusque sexus Catholici proscribuntur Cibinio a Lutheranis.

Inter haec belligera tempora Cibinii, Transylvanorum Saxonum metropoli, haeretica Lutheri lues ita iam penetravit senatorum civiumque animos, ut efferata rabie aggredi Romanam Ecclesiam non vererentur neque ullum, seu esset sacerdos seu clericus seu monialis, seu scholasticus intra urbem intra octiduum tolerare non decernerent. Ergo, anno Christi 1529, die 18 Februarii, omnes sub poena capitis, tam eos qui a Zapolianis castris salvi redierant, quam illos qui Cibinii manserant sacerdotes, clericos, monachos, moniales, alumnos, scholasticos, viros simul et mulieres, urbe exesse iussit Magistratus Senatoribus ac Centumviratus Cibiniensis, quo autem arrogato iure? *Iure Lutherico, iudex Deus vindex erit.*

2. Martinus Fölker pro servanda sua Praebenda apostavit.

Unus illic Martinus Fölker remansit, qui, ne ab Hospitali Cibiniensi (ubi anno Christi 1508 sacerdos fuit consecratus) divelleretur, Luthero consensit. Factus apostata atque ita usque ad mortem per annos octo et quinquaginta usque ad annum Christi 1567 (quo anno die 12 Septembris mortuus est) pastorale concinatoris munus in templo praefati hospitalis continuavit et appertinentia ad Praebendam bona oeconomiae administravit, successu temporis reliqua etiam Transylvania, ubi Saxonibus ius erat, Clero Catholico spoliabantur. Sacrae imagines passim exterminabantur neque, nisi pauculis in templis, sunt relictæ, quæ et hodie non multum vitiatae ibidem conspiciuntur.

3. Bellum et pestis in Transylvania.

Fuit annus hoc Transylvaniae admodum fatalis, propter hostilem irruptionem Petrasko, Moldavi Vaivodæ, cum Valachis: nam vastatis ferro et igne oppidis Bartzensibus ac internecioni traditis popularibus, expugnata etiam civitate Corona in festo Sanctorum Simonis et Iudæ procurrit usque Bistriziam, ubi tandem in campo victus et e provincia.

sed anno consequente, qui erat 1530 pestis exorta plurimos sustulit.

4. Paulus Archiepiscopus foederatur Ferdinando Regi et Petrus Prinyi miseram vitam carcere finit.

Eodem anno Christi 1530, Paulus de Varda, Archiepiscopus Strigoniensis, cum se Turcicae societatis vinculum (penes Ioannem de Zapolia) adhorre affirmaret, Ferdinando rursus sese confederavit. Petrus Prinyi vero, etiam praeter spem gratiosius a Solimanno Ioanni fuerat Budae commendatus, ut dictum est capite 9, numero 6, quum haud sine summa animi ingrati significatione a Ioanne defecisset atque, ut necesse erat, ad Ferdinandi partes descivisset, sed neutrius assecla, peculiarem sibi principatum ac privati iuris potestatem affectare, vana ambitione agitatus, coepisset, spe et expectatione sua frustratus, in longe maiores amissae libertatis calamitates incidit. Cum enim reduce Solimanno, Turcarum Imperatore, in Hungariam, Petrus decrevisset expetere, ut fieret absolutus Princeps, ac solummodo Solimanni beneficiarius esset, Ioannis Zapolia praevio consilio per literas dato a Turcis captus iussuque Solimanni extraditur quidem Ioannes Ludovico Gritto Turcae (is Budae stationem cum tribus millibus Turcarum ac paulo post Gubernatoris Hungariae titulum a Ioanne obtinuit) ut Bizantium aduceret commendavit, ubi deinde circumcisis, Turcis adlectus nec amplius a parente Petro visus fuit. Hic idem Petrus Prinyi toto aerumnoso vitae decursu nusquam propitia arridentique fortuna usus, tandem, ut sunt occultae Principum voluntates et irrumpentia ex insperato eorum odia, in vinculis et carcere Ferdinandi Regis expiraret, nec tam eius, pro quo captus erat, sceleris quam multipliciter proditate patriae invecitque in Pannoniam primitus Lutherani dogmatis reus, meritis poenas expendisse, multorum hominum indicio censebatur. Vide Istvanfius, libro 10, pagina 3 et libro 15, pagina 166.

5. Solimannus in Hungariam redux a Sancto Martino Episcopo repellitur ad Guntzium oppidum.

Redibat Solimannus in Hungariam, quasi Viennam expugnaturus ac ideo Ferdinandus Rex exercitum ad Viennam collegit nonaginta millia peditum et triginta equitum, inter hos erant Pontificae copiae, quos Legatus Cardinalis Hippolytus Mediceus Clementis nepos conduxerat. Ast Solimannus non Viennam, sed alio deflectens, Guntzium obsidione cinxit, cui restituit eques humana specie augustior et splendentibus armis, ex arce irrumpens plurimosque in auxilium laborantium oppidanorum milites adducens (eum incolae Sanctum Martinum interpretantur, loci patronum) quo viso, Turcae praecipiti fuga e moenibus retrocesserunt.

6. Solimanni in transnatando Dravo periculum.

Inaudita fuit Solimanni audacia, quam ex Istvanffy, libro 2, pagina 121, colona 2 recensemus: „Solimannus, quod in perficiendis pontibus longam moram interventuram videret, Dravum flumen transnatando superare decrevit idque ex Ibraimi Vezirii consilio, qui illum a Christianorum cervicibus sublatum cupiebat. Igitur supra eum locum ripae, in quo se ipse Solimannus in Fluvium erat demissurus, sex millia equitum praetorianorum ingredi flumen imperat, ut mitiorem eius impetum ac rapiditatem eo modo redderet ipseque postmodum inferius in spatio unius stadii cum Ibraimo ac puero et adolescentibus cubiculo assuetis,

fluvio se commisit et non sine periculo in ulteriorem ripam, stupente et attonito exercitu, evasit. Equites singuli, quorum equi adhuc vegetiores firmioresque erant, mandato Principis singulos ianitzeros in cluneos equorum acceptos transiecere. Multi peditum camelis equisque humilio-ribus, aut per utres aut colligatos arundinum et virgultorum fascies, ut quis poterat, aegre admodum neque absque discrimine secuti sunt. Multi etiam vorticibus et impetu fluminis abrepti periire. Ceteri animadversa transitus difficultate, captivos, quorum sane in castris non usque adeo magnus erat numerus (se morae et oneri essent) interfecere ac iumenta fessa laboribus et impedimenta quibus carere poterant, facile relinque- runt; ita ut etiam multo maxima campestrium columbrinarum pars reli- quisque apparatus, aquis mergeretur.“ Desperavit de superanda Hun- garia Solimannus ac in Orientem reversus est. Ioannes Zapolia vero Budae pacem cum Ferdinando inire molitur, ob quam ablegavit etiam Ioannes ad Carolum V Caesarem in Hispaniam Franciscum Frangepani, Collocensem Archiepiscopum, qui rem non quidem infelicititer egit, nego- tium tamen quod et Solimanni Turcicus assensus expectaretur, longe protrahebatur.

## CAPUT UNDECIMUM

### Ioannis de Zapolia foedus, conubium et mors.

1. Episcopatus Clero restituuntur et Luthericolae e Plebaniis Hungaricis proscripti serpunt in Transylvania.

Praeerat Emericus Cibak, qui nullis initiatus sacris Varadiensem Episcopatum obtinebat, simul etiam post Stephanum Bathori Transyl- vaniae, ubi et Saxones et Siculi adhuc Ioanni Zapoliano adhaerebant, usque ad annum Christi 1539, quo anno tandem sese Ferdinando, legi- timo Regi Hungariae, subiecere. Interea Fredinandus Rex Episcopatus Hungaricos a secularibus dominis, quibus eos Ioannes distribuerat, rur- sum ad ecclesiasticas personas transferebat et infectos Lutheranismo plebanos eiciebat e parochiis Hungariae, at complures ex eiectis in Transylvaniam se recipiebant ac densius haeretica dogmata seminabant.

2. Occiso uno Transylvaniae Praefecto, succedunt duo.

Praefatum Emericum Cibak Ludovicus Gritus Turca sub Ioanne Zapolia Interrege Primoribus adnumeratus per insidias anno Christi 1534 e medio sustulit, qui ipsemet etiam paulo post ex vindicta Transyl- vanorum occisus est. Ne igitur Provincia absque Praefecto esset, eam Praefecturam Stephano Mailato et Emerico Balassa aequata potestate demandavit Ioannes. Varadiniensem vero Episcopatum Georgio Marti- nensio monacho Sancti Pauli I Eremitae (addito simul officio Transyl- vaniae Thesaurarii) contulit.

3. Puncta pacis inter Ferdinandum Regem et Ioannem Interregem.

Cum vero tum Ferdinandi, tum Ioannis partes bello ac dissensio- nibus fatigatae essent, ad aequiores conditiones descenderunt et in hanc fere sententiam consenserunt: 1. Ut Ioannes donec superstes esset, ea Regni parte, quam ad praesens obtineret, regia potestate potiretur eique Ferdinandus regii tituli honorem literis et sermone tribueret: post eius obitum, totius Regni possessio ad Ferdinandum et liberos eius rediret.

2. Si Ioannes ducta uxore masculum haeredem relinqueret, Transylvania eius ditionis foret ac Ioannis arces paternae omnes illi restituerentur; quibus Ferdinandus in Silesia Oppaviae Principatum, aut alium superaderat, 3. Si bellum a Turcis uni aut alteri inferetur, communibus viribus ei propulsando obstringerentur. Huic transactioni ambo Reges solenni ritu subscribere fuereque deinceps res in Pannonia aliquamdiu tranquilliores.

#### 4. Matrimonio iungitur Ioannes.

Sic Ferdinandum inter et Ioannem discordiis fine imposito supererat, ut Solimanno (cui haec pax praeiudiciosa erat) et Portae Ottomanicae Ioannes conciliaretur effecitque subito Ioannes qua precibus, qua multo auro e templis et religiosis coenobiis corraso, reconciliationem partaque et quiete, Caelibatum abrumpere decrevit. Animum ergo ad nuptias ducendaque coniugem Sigismundi Regis Poloniae filiam Isabellam applicuit, cum qua anno Christi 1547 matrimonium Albae Regali iniit.

#### 5. Dissensio inter partes Ferdinandi et Ioannis in Transylvania.

Sub idem tempus Stephanus Mailatus et Emericus Balassa, duo Transylvaniae Praefecti, cum maiori Saxonum ac Provincialium parte ad Ferdinandum Zapolia descendere audiebantur: qua propter Ioannes summa cum celeritate praeveniendos eos et praeoccupanda eorum consilia arbitratus, relicta Budae nova nupta, quae uterum gerebat, illaque simul et rerum urbanarum procuracione clarissimis senibus Georgio Pesthenio ac Benedicto Baionio commissa, in Transylvaniam cum aulae comitatu et copiis magna cura conquisitis iter se instituit.

#### 6. Divitiae rusticorum.

Ab hoc Baiano, cum Ioannes, an pecuniam haberet? obiter olim quaesivisset, fertur respondisse, se quidem accumulando auro nunquam studuisse, habere tamen in sua ditione centum subditos, qui, quando opus est, singuli millenos aureos ei quam promptissime numeraturi essent.

#### 7. Ioannis de Zapolia morbus, mors ac sepultura.

Emericum Balassa, expugnatis eius arcibus, supplicem Ioannes habuit eumque in gratiam recepit, Stephanum autem Mailatum in arce Fogarass obsidione cinxit, quo tempore in morbum incidit Ioannes et ad oppidum Saas Sebes (Müllénbach) devectus, cum eo laetissimus nuntius Buda advolasset, Isabellam felici partu elegantem masculum enixam esse referens, Ioannes solatio efusse laetus, adhibitis convivio Proceribus, liberalius vino indulsit ac postero die appoplecticum deliquium passus, morte sera e vivis exessit, cum annum aetatis quinquagesimum tertium absolvisset. Transylvaniae interim Georgius, Varadiensis Episcopus ac Thesaurarius, summae potestatis auctoritate imperitabat, donec pupillus Ioannis Regis filius adolesceret, nam Stephanus Mailatus in Fogarasch ope Turcica expugnatus Bizantium abductus, ibidem obiit. *Alii scribunt cadaver Ioannis Albam Regalem, concitantibus nonnullis legionibus, de exercitu, quem in Transylvania habuerat, devectum ac ibidem, ubi sepulchra regum visuntur, solemniter humatum esse. Toppeltinus de ultimo ante mortem sermone sic scribit: „Qui vitae finem adve-*

*nisse conspiceret, filium testamento reliquit haeredem; Georgium Martinusium, Varadiniensem Antistitem, propter eximiam fidem et Petrum Vicchium sanguine sibi coniunctum, tutores instituit obtestatusque est singulos Procere, per antiquum Hungariae nominis decus, ut sui sanguinis potius, quam externa atque inimica gentis Regem in Pannonia regnare paterentur; futurum enim esse, ut Solimannus Regni tutelam susciperet, si ad eum legati propere mitterentur. Quod et factum.*“ De his Isthvanffius, libro 13, pagina 147 et 148. *Sepultus Scepusii anno Christi 1553.*

## SYLLOGIMAEORUM TRANSYLVANAE ECCLESIAE LIBER QUARTUS

### DE AUGMENTO HAERESUM VIVENTE STEPHANO

(nominato deinceps Ioanne Sigismundo), filio Ioannis de Zapolia.

#### Praefatio

Colluviem haeresum ac turpem sententiarum fidei confusionem patefaciet hic liber: cum enim hactenus monomachia subeunda esset statui Catholico cum sola Lutherana haeresi, aliud monstrum hydrae simile prodiit, cum quo plus quam monomachiam luctandum erat. Prodierunt nempe praeter discordes Lutheri ritus Zviglii, Calvini, Arianorum Anabaptistarumque rixae, quae tot erexere capita, quot sectas protrudere. Id infelicissimum, quod Ioanni de Zapolia peior Transylvaniae praefectus successerit, proprius filius Stephanus, deinceps vocatus Ioannes Sigismundus: nam regnante patre solum Lutheri venenum diffundebatur, sub filio autem ex contagioso plurium haeresum monstro saeva pestis grassari coepit adeo ut ipsum hunc corripere filium Ioannem Sigismundum. Vixit enim et sepultus fuit Arianus. Quia vero plurima fiebant dissensiones et rixae ex controversa sententia de Coena Domini (ut hoc libro videbitur), an verum vivumque Corpus Christi sumamus Christiani, an non? Placuit hic ob oculos ponere ipsa Consecrationis Dominicae verba, quae per elegans anagramma veritatem proferunt litemque decidunt.

#### Programma

Hoc est enim Corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

#### Anagramma purum

Calvine! non est rei figura; Lutheri! non est panis, corpus est DEI optimi, maximi effuse semetipsum mihi communicatis in cibum. Nosce quo ritu et mysterio reum te redemit.

Vive, Lector et vale!

## INDEX LIBRI QUARTI

**De augmento haeresum regnante regio vaivoda Ioanne II de Zapolia.**

*Caput primum. Lutherana haeresis novas radices figit in Transylvania.*

1. Filius Ioannis de Zapolia nomen Stephani adeptus in baptismo postea Ioannes Sigismundus nuncupabatur. 2. Catholicorum cum haereticis negotium inefficax. 3. Promotio haereseos Cibinii et Coronae. 4. Deserta monasteria in usum scholarum data. 5. Cura Ferdinandi I pro convertendis haereticis. 6. Superintendens Lutheranorum primus in Transylvania.

*Caput secundum. De caede Georgii Martinusi Cardinalis et Archiepiscopi Strigoniensis.*

1. Negotium confoederationis Ferdinandi I cum Isabella et Ioanne Sigismundo, ut a Turcis desciscerent. 2. Matris Isabellae cum tutoribus dissidium. 3. Confoederatio Regis Ferdinandi et caedes Georgii Cardinalis. 4. Georgii Cardinalis diu inhumati tumultuaria sepultura. 5. Auctores caedis divinitus puniti. 6. Parochus Musnensis ab haereticis occiditur.

*Caput tertium. De novis catholicorum persecutionibus ab haereticis.*

1. Populi et Regis erroneum iudicium de iustitia caedis cardinalis Georgii. 2. Creato novo Vaivoda, seditio orta contra Caesarianos et defectio a Rege consecutaque pestis. 3. Petrovicius et Blandrata, Catholicorum gravissimi oses. 4. Mors Petrovicii et Isabellae. 5. Edictum Isabellae contra impediens libertatem ecclesiasticam.

*Caput quintum. Ariana haeresis et cum illa plures aliae in Transylvaniam irrepunt.*

1. Aula inficitur Arianismo. Lutherani altaria Catholicorum laedi vetant. 2. Variae haereses protuberant in Transylvania. 3. Arii sequaces augentur et Claudiopoli Superintendentem creant. 4. Calvinistarum in administratione Sacramentorum impudentia. 5. Stankari et Davidis importuna haeresis ac impia mors. 6. Unitarii Sanctissimam Trinitatem exosi Lutheranis praevalebant. 7. Sententiarum divisio inter Unitarios.

*Caput quintum. Haeresum Transylvanorum controversia de Coena Domini.*

1. Turpis mors primi in Transylvania Calvinistae haeresim suam docentis. 2. Ambientes munus Superintendentis desciscunt ad Arianismum. 3. Literae Ioannis II de sopienda controversia Coenae Domini et constituendis ideo Superintendentibus. 4. Liberum religionis exercitium imperatur. 5. Mandatum de proventibus ecclesiasticis sub cura saecularis Magistratus non servandis. 6. Concessa libertas Hungariae sumendae Sanctae Eucharistiae sub utraque specie revocatur propter haereticam pertinaciam.

*Caput sextum. De apostasia et morte Sthepani (vulgo Ioannis Sigismundi et Ioannis II) de Zapolia, regii Vaivodae.*

1. Ioannes II de Zapolia fit Arianus seu Unitarius et confirmat haeresim. 2. Libertas creandi successorem negatur eidem Ioanni II. 3. Idem Transylvaniam commendat Maximiliano II, Romanorum Imperatori. 4. Mors et sepultura Ioannis II. 5. Poena apostasiae eiusdem. 6. Fama de circumcisione Turcica eidem Ioanni facta.

## SYLLOGIMAEORUM TRANSYLVANAE ECCLESIAE LIBER QUARTUS

**De augmento haeresum vivente Stephano (nominato deinceps Ioanne Sigismundo) filio Ioannis de Zapolia.**

### CAPUT PRIMUM

#### Lutherana haeresis novas radices figit in Transylvania

1. Filius Ioannis de Zapolia nomen Stephani adeptus in baptismo, postea Ioannes Sigismundus nuncupabatur.

Mortuus iam erat Ioannes de Zapolia, relictā vidua coniuge Isabella, quae filium genuit anno Christi 1540 dictum in baptismo *Stephanum*, dein a matre (ut avi materni simul et patris memoria repeteretur) nominatum *Ioannem Sigismundum* et tum adolueret, Ioannem II Regis enim titulo uti voluit, qui illegitime in ulnis maternis (vivente legitimo Rege Ferdinando) fuit coronatus ideoque regius Transylvaniae *Vaivoda* magis quam *Rex* hic nobis erit nuncupandus. Huic *Stephano* seu *Ioanni Sigismundo* tutor datus fuerat a muribundo *Ioanne* parente Georgius Martinusius, factus ex monacho Sancti Pauli I Eremitae Episcopus Varadinensis ac Petrus Vichius, vulgo dictus Petrovicius, Zapolianorum consanguineus.

2. Catholicorum cum haereticis negotium inefficax.

Isabella vidua Catholica sedem Albae Iuliae nacta, cum resistere haeresi cuperet, citatos evocavit ad comitia Albam Iuliam anno Christi 1543 varios seditiosae sectae Luthericos Primores; inter quos Corona Honterus (de quo supra, libro I, prolegomeno 8, numero 4) simul cum deputatis de magistratu. Ne autem pavidus Honterus adesse cogeretur, substitui sibi fecit apostatam ex oppido Rupes (vulgo Reps) assumptum collegam Matthaeum Calvinum, aliis dictum Glatzium. Causam cur Honterus pavidus fuerit assignat Haner, libro 4, pagina 199; quod maximum discrimen se habiturum putarit ex recenti Varadinensis aeditui propter contemptum praesentia Episcopi Georgii Martinusii, quoniam is aedituus alapam in templo mulieri Catholicae coram sacra imagine flexis genibus oranti infregerat. Sed quia ob negotiorum publicorum pluralitatem cura religionis in hisce comitiis debilem nacta fuit efficaciam, sunt omnes

haeretici ad sua demissi. Cum enim Georgius Episcopus Ioannis Sigismundi Regis pupilli tutor Lutherani adversaretur, Petrovicius consors tutor patrocinabatur, qui et catholicorum templa spoliando, sacrum imminuere splendorem non est veritus.

### 3. Promotio haereseos Cibinii et Coronae.

Ex hinc audaciores facti Luthericolae, Cibinii quidem per Ioannem Surdastrum, veterem apostatam, Lutheri dogmata pertinacissime promovebant; Coronae vero per dictum Honterum, qui deposito Catholico Decano Capituli (*Archipresbyterum* nominat Coronensem Decanum Istvanffius libro 12, pagina 130, colona 2) successit ipsemet huius Decanatus Haeresiarcha. Cum vero Coronae multi Graecorum commorarentur, praesumpsit quidam Wagnerus Graecorum Catechesin proelo subicere et contagionem Lutheri propagare; at Vlachi licet Graeco ritu uterentur, Catechesin illam respuebant: Haner, libro 4, pagina 205.

### 4. Deserta monasteria in usum scholarum data.

Anno Christi 1548 iubebat Ferdinandus I, Romanorum, Hungariae et Bohemiae Rex deserta bona ecclesiastica monasteria sensim applicari ad erectionem scholarum doctorumque virorum sustentationem, ut divinus cultus ac religio Catholica celerius repullularet atque haereses undique tollerantur. Vide Decreti Posoniensis eo anno emanati Articulum quintum et decimum secundum.

### 5. Cura Ferdinandi I pro convertendis haereticis.

Sed et anno Christi 1550 per Decretum Posonii editum Rex Ferdinandus I praeter plurimos pro Romanocatholica religione variis in comitiis, diversis annis editos Articulos, istum tunc edidit numero decimo secundo: «Porro quod Maiestatis Suae diserte simul et pie fideles suos hortari dignitati est unionem fidei et religionis, agnoscunt in hoc quoque Ordines et Status Regni singulare in DEUM optimum maximum regiae maiestatis pietatem et in subditiis decentiam arbitratursque secundum benignam et paternam admonitionem Suae Maiestatis, enitendum esse omnibus modis, ut sancta et catholica Fides ac religio DEI que optimi maximi cultus (iuxta veterem Sanctorum patrum doctrinam) longo tempore per universum orbem Christianorum recepta atque approbata ubique in Regno haeresibus et impiis doctrinis Sanctae Romanae et catholicae Ecclesiae (quae unica est et sibi continuo constans errare non potest) omnes ex omnibus Ordinibus et Statibus Regni perpetuo adhaereant, ut sic vera et solida animorum coniunctio in dies augeatur.» *Sic Ferdinandus Rex.*

### 6. Superintendens Lutheranorum primus in Transylvania.

Cum autem Lutherani sese per Transylvaniam late iam diffundissent, tandem anno Christi 1533, multam in suam haeresi confusionem experti, Superintendentem, quem nunc vocitare amant Episcopum, sibi met creaverunt eidemque sedem in BIRTHALMEN designarunt, quod oppidum a sagis adeo in fama fuit, ut recens memoria sit, unam etiam Superintendentis huiusmodi Lutheranam uxorem deprehensam magia ream atque ad rogum condemnatam publicum ibi ignis supplicium sustinuisse. Primus autem superintendens haeticarum Lutheri ecclesiarum in Transylvania creatus fuit Paulus Viener Labacensis cum esset ministellus Cibiniensis: obiit anno Christi 1554 ex peste.



## CAPUT SECUNDUM

**De caede Georgii Martinusii Cardinalis, Archiepiscopi Strigoniensis.**

1. Negotium confoederationis Ferdinandi I cum Isabella et Ioanne Sigismundo, ut a Turcis desciscerentur.

Anno Christi 1550 graves controversiae in Transylvania exortae fuerunt inter Isabellam Reginam et Georgium, Episcopum Varadinensem, qui simul Transylvaniae locumtenens fuerat. Eas enarrat exacte Isthvanffius, libro 16, ad annum 1550, unde paucula libuit delibare. Erant pupilli regii tutores duo: Georgius Martinusius, Episcopus Varadinensis et Petroviti, consanguinitate Zapoliis iunctus. Mater pupilli, Isabella, Turcis confoederata vivebat inter Transylvanos, Georgius vero tutor Ferdinando, Regi legitimo satagebat confoederare Isabellam. Ablegati Caesaris spondebant, Ferdinandum Regem pro eo quo erga Rem publicam afficiebatur, studio ac pietate daturum Isabellae in Silesia, pacata et ab hostibus barbaris longe dissita provincia, tutum manendi locum; Opoliensem nimirum Principatum cum idoneis redditibus: haereditatem aliquam quam pater reliquerat, amplissimam prorsum et plane principalem redditurum et pupillum in filium adoptaturum; et se eum firmata aetas virum fecerit, filiam Iohannam, quum ad nubilem aetatem produxerit, ei desponsaturum. Pro novata vero opera ipsi Georgio Episcopo Archiepiscopatum Strigoniensem de manu traditurum et apud Summum Pontificem partes suas impositurum, ut in numerum Cardinalium paucos post dies recipiatur. Atque de his omnibus non tantum diplomata edi cupere, verum etiam pacta utrinque iuramento confirmari. Ad quae Georgius brevi sermone respondit, se iisdem rationibus adductum esse, ut ab hostibus barbaris descisceret ac idem Pannonicis serviret emolumentis.

2. Matris Isabellae viduae cum tutoribus dissidium.

Deinceps Isabella Lippam, vel ad matrem in Poloniam secedere volente, Turcisque negotium rescientibus, coacta sunt Claudiopoli comitia, exinde tutores duo. Georgius et Petrovicius graviter dissidere coeperunt, nec aliud, quam bellum Turcicum propter Transylvaniam imminebat, imo intra viscera iam oriebatur tum ad Hazaktum cum ad Brasso, donec per renovata comitia pacem iniret Isabella cum tutoribus, at nimis infirmam, quia Georgio iam submittebatur a Rege Ferdinando exercitus, cui praeerat infirmam, quia Georgio iam submittebatur a Rege Ferdinando exercitus, cui praeerat Ioannes Baptista Castaldus, Magister castrorum Caroli V Caesaris, vir valida viridique senecta et contubernio et disciplina Ferdinandi Davali Marchionis quondam Piscarii, celeberrimi Ducis, ad illud summi imperii fastigium evectus.

3. Confoederatio Ferdinandi et caedes Georgii Cardinalis.

Cum a Caesarianis Alba Iulia expugnabatur, Isabella cum pupillo decenni filio secum Transylvania Regi Ferdinando subiecit in comitiis Claudiopolitanis anno Christi 1550 coronamque Hungariae et insignia Regis legatis Ferdinandi obtulit eidem transferenda; arces autem omnes Isabellae nomine tenebantur, praeter arcem Munyaz, quae Petroviti promissa fuerat. Isabella subito Casoviam discedente e Transylvania,

Georgius in Cardinalium Romanae Ecclesiae collegium cooptabatur. Orta est autem dissensio inter Cardinalem Georgium et Campi Ducem Castaldum tanta, ut Castaldus crederet salvo Georgio, *de ambitione Principatus Transylvaniae per collectionem cum Turcis suspecto*, inquietam fore Transylvaniam idque ipsum significaret Regi Ferdinando. Ergo struuntur insidiae Georgio in castello Alvincz (situm in fine campi, qui de *panibus* nomen habet) ubi etiam dolose interficitur anno Christi 1550, idibus Decembribus. Nempe Marcus Antonius Ferrarius, Castaldi amanuensis, patria Alexandrinus sua et minore ideoque occulto, sclopeto instructus, Georgio preces exeguenti per cubicularium puerum nuntiat, se habere arduum magnique momenti negotium cum eo paucis communicandum. Admissum in conclave literas profert ad Ferdinandum Regem, in sui commendationem scriptas quibus ut nomen suum subscribat enixe orat; sumpto calamo cum prono in literas vultu se inclinasset, ille pugione eius iugulum lethali ictu transadigit. Strepitu simul et clamore exorto, Sforzia et caeteri decem numero irrumpunt strictisque gladiis eum Christi DEI Divaeque Virginis Matris opem implorantem circumstant et ictus ingeminant. Marcus Antonius iustae rabidae ferae procidentis et palpitantis pectori sclopetum intendit et glande traicit, nec mora reliqui multis caesim cunctimque illatis vulneribus confodiunt; puerum quoque, cui Francisco Ferreo nomen erat, qui inermis attonitoque similis horribile facinus aspectabat, septem assectum plagis seminecem relinquunt ac se subito cubiculo proripiunt.

#### 4. Georgii Cardinalis diu inhumati tumultuaria sepultura.

Interfecto in hunc modum Georgio, dextram auriculam eius, quae continuo pilosa erat, Mercadus praecidat et, ut res Ferdinando evidenter acta constaret, per celeres dispositosque equos Viennam indeque Pragam pertulit. Cadaver multis foede confossum vulneribus, cruore tabeque deformatum, incredibili rerum humanarum inconstantiae exemplo, septuaginta amplius dies neglectum inhumatumque in vestibulo eius cubuli, in que erat occisus, iacuit; nec, nisi ad initium mensis Martii tumultuario funere a sacerdotibus collegii Albensis in maiori aede Divo Michaëli sacra tumulatum, cum Idibus Decembris crudeliter fuisset trucidatus.

#### 5. Auctores caedis divinitus puniti.

Georgius an insons et ea caede indignus fuerit, an eam promeritus dubitabatur, nam utrumque vulgi sermonibus iactabatur, certe tamen caedis eius auctores non multo post tempore, diversis poenorum generibus divinitus, ut credi par est, irrogatis, partim in summas calamitates incidere, partim miserabili vitae exitu interiere. Sfortia enim, non toto vertente anno, a Turcis, caeso exercitu, captus ac apud eos virgis et fustibus exceptus, multo auro se redemit. Marcum autem Antonium Ferdinandus Cenzaga, Mediolani Caroli V Caesaris Praefectus, alterius noxae capitalis crimine convictum in praealta furca, latronum more suspendandum curavit. Campegio Augustae Vindelicorum dextra manus, qua interficendo Cardinali usus, erat, primo nocturna in rixa detruncata est; nec multo post, dum Viennae, in Ferdinandi Regis comitatu feras venaretur, ab apro terribili dentis laniatus et, effusis visceribus, interfectus fuit. Scaramuccia in Gallia Narbonensi a militibus quibusdam in frusta

dissectus foeda morte, alii vero infami lethi casibus scelerum poenas exsolvere.

#### 7. Parochus Musnensis ab haereticis occiditur.

Anno Christi 1553, Franciscus natus in civitate Medgyes, Parochus Musnae, Episcopi Albae Iuliae Vicarius, iuris utriusque doctor, occisus fuit in Monastor, vicinia Claudiopoleos. Hic praxim reducendi Statum Catholicum in Transylvania ad pristinum vigorem, a se conceptam, deferre contendebat Viennam ad regem Ferdinandum. Sed iam itineri accintus, cum in Monastor quiesceret, ab insidiatoribus haereticis interceptus ac pulvillis ori violenter impositis, suffocatus fuit. Sepultus est ante summam aram templi Deiparae ibidem in Monastor, ad Claudiopolim.

### CAPUT TERTIUM

#### De novis Catholicorum persecutionibus ab haereticis.

##### 1. Populi et Regis Ferdinandi erroneum iudicium de iustitia caedis Cardinalis Georgii.

Post caedem Georgii cardinalis nec excusationibus, nec largitione neque blandimentis obtineri potuit, quin vulgus iudicaret merito hunc Cardinalem esse occisum, imo ipse Ferdinandus Rex nimiae credulitatis accusatoribus facile praestitae infamiam sustinebat, qua etiam apud Iulium Pontificem et Cardinalium Collegium non multo post maxime laboravit, qui ei caedis eiusmodi nomine Romam citato diem dixerunt; eos tamen labore multo summaque cum difficultate tandem placavit.

##### 2. Creato novo Vaivoda, seditio orta contra Caesarianos et defectio a Rege consecutaque pestis.

Ferdinandus Rex deinceps ut animos Transylvanorum demereretur Andream Bathori ipsis Vaivodam constituit, sub quo Germanorum Hispanorumque militum exorta est seditio, diu frustra sua stipendia urgentium, hi enim nullis Castaldi, sui Ducis, precibus aut minis retineri poterant, quin, arreptis signis et novis ducibus creatis (quod in huiusmodi motibus solemne est), iniussi per Pannoniam Viennam versus iter caperent, quos, cum aliud non posset brevi subsecutus Castaldus, arrepta hinc, ut creditur, honesta occasione, qua se periculo coniurationis Procerum, a quibus cum Hispanis suis opprimi debuerat, homo providus subduceret. Quo facto, universa Transylvania statim sub Isabellae iura concessit, quae indictis Cibinium comitiis ex Ordinum Consilio res in Provincia ordinavit. Sed eam laetitiam secuta pestis, quae biennium integrum per eas regiones crudeliter grassata, partim imminuit, partim quia bellum interea geri non poterat, res Transylvanas stabilivit. Restituta in Regnum Isabella Transylvaniae cum filio, animum applicuit ad conciliandos sibi Proceres.

##### 3. Petrovitiis et Blandrata, Catholicorum gravissimi osores.

Paulo post, duo viri, haeresum promotores prosilierunt, Georgius Blandrata et Petrovicius. Hic Petrovicius, post occisum Cardinalem Georgium, rerum potiebatur, ex voluntate Reginae Isabellae suique pupilli filii, quamvis Rex Ferdinandus Andreae Bathori supremam

Transylvaniae administrationem collatam voluerit, qui tamen paulo post eam Stephano Dobo et Francisco Kendi cesserit anno Christi 1553. Factus est autem e Catholico primum Lutheranus, postea Arianus. Post discessum Episcopi Albensis Pauli Bornemissa, ad Nitriensem Episcopatum promoti, passim eiciebat Catholicos sacerdotes, canonicos et monachos eorumque facultates fisco addicebat. Sic tamen, ut bonam partem ipse servaret, caeteris nobilibus similiter reliqua bona ecclesiastica invadentibus et occupantibus. *Albae Iuliae conciones Lutheranae (procurante id potissimum Bartholomeo Corvato, auxiliarii militiae Praefecto) statim in publico haberi coeperunt, eo progressu ut edicto Turda promulgato ipsis concessum fuerit publicum religionem suam exercendi ius, eo pacto, ut reliquae omnes sectae prohibitaе intelligerent, ut et sacramentariorum.* Catholicorum hostis fuit acerrimus, adeo ut Turcas plerique et in oppido ab ipsis occupata confugere sint coacti inde factum, ut ecclesiastici metu Petrovitianae Tyrannidis desertis gregibus alio obierint, alii vero officiis et dignitatibus exuti, in solitudinibus, quod reliquum ipsis fuit vitae, misere exegerint; quod si quis contradicere aut resistere auderet, eius fronti signum „Tau“ inurebatur. Idem novacula non coronam tantum, sed cutem etiam et carnem sacerdotibus abradi curabat, qua crudelitate nonnulli in desperationem acti uxoribus ductis religionem mutare mauerunt, quam in tam horribili persecutione votis obstricti remanere. Claudiopoli iussu eiusdem altaria diruta, statuae confractae omniaque ecclesiastica ornamenta profanata sunt. Quia vero iuxta antiques Regni leges sine ecclesiasticorum et canonicorum consensu de iis, quae ad Rem publicam pertinent, nihil decerni aut fieri licet; quatuor ex nobilitate laici ab illis electi sunt, capitulares appellati, qui cum eadem qua veri canonici auctoritate et potestate publicis consiliis interessent. Georgius Blandrata natione Pedemontanus ex Italia Subalpina et Allobrogibus, ob pestiferum Ariani dogmatis virus (quo ab inferis revocato erat infectus) Ticini ex inquisitorum manibus elapsus, Genevam inde in Helvetiam primum et Germaniam, postea in Poloniam, exinde in Transylvaniam profugit ad medicam operam ab Isabella Regina ac Petrovicio assumptus est.

#### 4. Mors Petrovicii et Isabellae.

Mortuus est Petrovicius, morbo et senio gravatus, celebs anno Christi 1559 et bonorum omnium ac facultatum haeredem Reginam Isabellam eiusque pupillum filium reliquit. Isabella Melchiorum Ballasium fecit administrationis Transylvaniae successorem, qui ad Ferdinandum deinde descendit anno Christi 1560. Eodem anno Isabella, nondum quadragenaria diem obiit extremum et Ioannes Sigismundus filius ad Ferdinandi partes, consentientibus Turcis, ut filiae Ferdinandi I, iam Caesaris, Iohannae, matrimonio iungi posset, transivit. Sed inconstans haec fides fuerat.

#### 5. Edictum Isabellae contra impediētes libertatem ecclesiasticam.

Inter monumenta Isabellae zeli pro Catholica religione remanserant ad Segesvar civitatem Lutherizantem, quae sequuntur: „Isabella DEI gratia Regina Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Fidelibus nostris circumspēctis Magistro Civium, Villicis caeterisque Iuratis Senatoribus

Sedis nostrae Saxonum Segesvar salutem et gratiam. Ex Supplicatione fidelium nostrorum venerabilium sacerdotum Capituli, eiusdem Sedis nostrae Saxonicalis Szaszkyd accepimus, quatenus vos, citra omnem iustitiam ac consuetudinem huius nostri Regni hactenus observatam in causis Sedem spiritualement concernentibus, violenter ingeretis, non contenti iurisdictione vestra, sed etiam iurisdictionem ecclesiasticam usurpantes, denique libertate eorum ordinaria, hactenus in hoc Regno nostro habita et a Regibus et Principibus Hungariae, nostris praedecessoribus, eis et ecclesiae eorum concessa omnino spoliare et privare cuperetis, in maximum totius ecclesiastici Status et Ordinis praeiudicium et damnum manifestum. Nos itaque ob intuitum omnis iustitiae venerabiles plebanos et sacerdotes universos in praefata sede nostra existentes in libertate eorum ordinaria omnibus et iurisdictionibus et privilegiis ipsorum hactenus habitis conservare volentes, Fidelitatibus Vestris harum serie mandamus firmiter, ut a modo deinceps vos ad causas Sedem Spiritualement concernentes, puta testamentorum, bonorum ecclesiae, domorum episcopaliū, viduarum, pupillonum, maximo vero matrimoniales et ad sedem eorum deductas, ausu temerario contra potestatem eorum iudiciorum ingerere et immittere neque iudicium inturbare quoquo modo praesumatis saeculares cuiuscumque conditionis pro testimonio ad Sedem eorum citatis, ne coram iudicibus ecclesiasticis compareant impedire, terrere et inhibere debeatis. Si qui in medio vestrum contumaces reperti fuerint, auctoritatem ecclesiasticam vilipendentes, Decanus auctoritate sua ordinaria, qua fungitur, per censuram ecclesiasticam coërcere et huiusmodi inobedientes punire debeat. Volumus praeterea ne verbo aut facto aliquo eos perturbare vel laedere audeatis, sed magis debitam reverentiam, obedientiam ac honorem ipsis deferre modis omnibus debeatis ac teneamini. Secus in praemissis sub indignationis nostrae poena nulla ratione facere praesumatis, praesentibus perlectis. Datum in Colosvaro, 5 Februarii, 1558.“

## CAPUT QUARTUM

### **Ariana haeresis et cum illa plures in Transylvania irrepunt.**

1. Aula inficitur Arianismo. Lutherani altaria Catholicorum laedi vetant.

Dictum est libro 2, capite 1, numero 2 Arianam haeresim sub Valente Ariano (qui post Annum Christi 364 per annos 25 regnavit Orientis Imperator) in Dacia innotuisse eaque Transylvaniam non mediocriter inter gentiles infectam fuisse, extinctam autem opera Sancti Stephani I Regis Hungariae, qui Catholicae fidei Transylvanos addixerat. Sed haec haeresis consimilibus aliorum haereticorum permixta erroribus, sese rursum insinuavit gubernante Transylvaniam Principe Ioanne Sigismundo, quando Georgius Blandrata Allobrox Ariana infectus peste Principem et aulam eius eodem veneno infecerat, cum hactenus Lutherani soli Catholicis fuerint per sectam suam contagiosi. Qui anno Christi 1552 in oppido Bergsas congregati concludebant, ut altaria ex ecclesiis eiecta ni reedificarentur, ubi autem ea nondum sublata essent ac ab auditoribus deti-

nerentur. Pastores ex iisdem administrare sacramenta posse, modo doctrina urgeretur, confirmabant.

## 2. Variae haereses protuberant in Transylvania.

Nec dubitandum est usque ad hoc tempus sese privatim in Transylvaniam plures haereses, imo et in publicum prorupisse notavit Haner, libro 4, pagina 217, quod anno Christi 1552 ministri ecclesiarum Saxonicarum synodum conscripserint electoque Paulo Viener Labacense, pastore ecclesiae Cibiniensis, in primum Episcopum seu Superintendentem Generalem, ordinationis munere sibi demandato, praescripserint condiciones, ex quibus haec habetur numero quarto: «De articulis controversis contra Pontificos, Sacramentarios, Anabaptistas, Antitrinitarios et similes veram sententiam (Lutherani) ostendant ac testimoniis scripturae confirment». Anno sequente excedenti ex vivis Paulo Viener successit Mathias Hebler factaque est Transylvania (ut Miles Transylvanus scriptor pagina 66 loquitur) nidus et domicilium omnium errorum. Quia vero anno Christi 1550 Ferdinandus Rex per decretum Poseniense contra Anabaptistas Articulum numero 26 edidit: „Statutum est etiam ut Anabaptistae omnes de omnium dominorum bonis ac nobilium caeterorumque possessionatorum ditionibus spatium 7 hebdomadarum, sub gravissimae indignationis Regiae Maiestatis poena e Regno penitus eiciantur; hoc iam tempore putantur Anabaptistae in Transylvaniam ex Hungaria irrepsisse, qui post multos annos a Gabriele Bethlen in Vinz sedem fixam nacti sunt atque etiam hodie ibi haerent.

## 3. Arii sequaces augentur et Claudiopoli Superintendentem creant.

Nulla tamen haecresis praevaluit Arianae: nam inter belli strepitus e Borussia ingressus etiam fuerat Claudiopolim, Transylvaniae civitatem, Franciscus Stankarus Italus Mantuanus, Catholicorum apostata, linguarum gnarus, sacrarum paginarum interpretes et medicinae doctor, e Regio-Montana, Prussiae metropoli pulsus, vir scandalosus, qui Articulos aliquos condidit eorumque primum, ut omnes errores novorum Nestorianorum omniumque sacramentariorum, videlicet Berengarii, Viklefii, Carlstadii, Zvinglii, Oecolampadii, Calvinii etc. damnentur: vide Haner, libro 4, paginis 221 et 22, qui ad annum Christi 1554 narrat Demetrium Tordai pastorem Ösvariensem (Claudiopoli) primum Hungarorum Superintendentem esse electum.

## 4. Calvinistarum in administrandis sacramentis impudentia.

Nemo sibimet facile persuadere potest quanta confusio dogmatum Romanocatholicae Ecclesiae contrariorum procreaverit sub hoc regio Vaivoda Ioanne Sigismundo, imposterum Ioanne II nuncupato. Nobilitas decernebat plusquam ecclesiarum ministri et articulos pure ecclesiasticos condere iustitiam esse credebatur. Etiam ad annum Christi 1554 ausus fuit Calvinista *Munkacziensis tum Debreciensis, demum a Petrovitsio in Transylvaniam introductus*, ministellus *Martinus Kalmaneschi*, vulgo Santa dictus, novum baptismi ritum praticare, extrahebat enim immunda hara porcorum lintrem in plateam publicam infusaque aqua adductos baptizabat infantes hac formula: «Haec est libertas Christiana» habuitque permultos doctrinae (quae Calvina dicebatur) sequaces (Haner, libro 4, pagina 227), qui tres celebriores articulos promulgabant de Sacra Coena. 1. Circumgestionem Hostiae esse reiciendam. 2. Prohibitionem

alterius speciei damnandam. 3. Transsubstantionem non admittendam. Ob tales controversias Calvinistae appellati sunt Sacramentarii.

5. Stankari et Davidis importuna haeresis ac impia mors.

Interea Stankarus apud senatum Cibiniensem literis interpellarat, ut in urbem recipieretur et aliquem ibi commorandi locum obtineret sancte promittens se civibus neque gravem, nec ullius seditionibus auctorem per nova dogmata futurum. Quod cum impetrasset, Cibinium cum uxore et liberis veniens et per aliquot menses ibi degens, suum Arianum de persona Christi doctrinae genus profitebatur et aliquos in suam sententiam trahebat, sed re intellecta, illuc unde venerat, redire iubebatur. Ex urbe pulsus, Claudiopolim maximo suo cum damno denuo veniebat, sed ubique confusus, Vassarhelynum ad Marusium gratia Kendi se demum contulit. Huic Stancaro se aliquamdiu opposuit Franciscus Davidis primum Catholicus, tum Lutheri aliquamdiu sectator, mox antagonista Colosvarigena. Davidis opificis calcearii filius, Cladiopolitanus plebanus primum Catholicus, tum Lutheri aliquamdiu sectator, mox antagonista (nam et cum Georgio Maiore Vittenbergae professore theologico per literas disputabat) demum factus Arianus, in qua heretica secta Superintendens, infelicem tandem animam a vermibus, in carcere arcis Devae, corrosus exhalavi. Etiam Statnkarus in Transylvania non ausus durare, in Poloniam discessit ibidemque animam evomuit.

6. Unitarii Sanctissimam Trinitatem exosi Lutheranis praevalent.

Ariani iam hic dicebantur mutato nomine Unitarii obtinuerintque typographiam a Ioanne Sigismundo Vaivoda ac Albae Iuliae scholam, cui praeerat Paulus Iulanus, sed et Colosvariensem possidebant Ecclesiam, cui adhaerebat pastor Stephanus Basilii. Anno Christi 1570, ita iam multiplicati fuere Ariani, ut Claudiopoli Lutheranis deficeret locus ideoque haec civitas e numero septem Saxonicalium urbium fere eliminari cogeretur. Blasphemant vulgo hi Ariani, quod ferro et igne DEUM Trinum e Regno pellere decreverint.

7. Sententiarum divisio inter Unitarios.

Anno Christi 1570 gravissimam passi fuerunt confusionem Ariani et plerique sententiam mutaverunt suumque Arianismum reformarunt, quando aegrotus Franciscus Davidis, Superintendens Arianorum, ad Tordensem Synodum trium Transylvaniae nationum: Hungarae, Saxonicae et Siculae vectus ac Albam Iuliam revectus, ibi a Georgio Blandrata ex Basilea vocato Fausto Socino, Laetii Socini nepote Calvinista, ad sectam Arianorum proclivi, coram Ioanne Sigismundo, Regio Vaivoda, publice accusatus, purgare sese ac errores revocare iussus fuit: quod cum ageret, Iudaico-Mahometicam magis, quam Arianam iam sententiam tueri videbatur ac idcirco plerique ab Arianismo Francisci Davidis ad Arianismum Georgii Blandratae transierunt; nec enim solummodo aiebat Franciscus Christum non esse DEUM, nec etiam abordandum, nisi solum Patrem coeli et terrae Conditorum. Sed etiam per peccatum habere (eo), qui Christum, quam eos, qui *Mariam*, *Petrum* et *Paulum* invocarent etc. Ergo ad perpetuos Transylvaniae arcis Deva carceres condemnatus ibidem inter pediculos et sordes est mortuus, postquam suam hereticam fidei confessionem adversariis suis porrexerat.

## CAPUT QUINTUM

**Haeresum Transylvanorum controversia de Coena Domini**

1. Turpis mors primi in Transylvania Calvinistae suam haeresim docentis.

Inter primos Transylvano-calvinianae haereseos propagatores numerandus est *Sacramentarius ex Munkacz a Petrovitio introductus*, Martinus Kalmanecsky. Sed turpi doctrinae turpi morte poenas luit anno Christi 1558. De hoc sic Haner, libro 4, pagina 223: „In aegritudinem incidens, Martinus blasphemi huius asserti, quod et animus meminisse horret, per recessum egeri Corpus Domini necesse est. Si in Sacra Coena sacramentali et reali manducatione acciperetur, poenas ex iustissimo DEI iudicio ei illatas dabat. Cum enim horrore mortis opprimeretur, stercus per os proprium multa vi et tentamine, miserabili cum eiulatu evomere coactus est atque ita suffocatus excrementis propriis interiit.“ *Haec salvis auribus Haner.*

2. Ambientes munus Superintendentis desciscunt ad Arianos.

*Inter primos fuit et Petrus Maelius*, ex pastore Debreczinensi Superintendens. Is maximam partem nobilium, praesertim Hungarorum ac Siculorum ad Calviniana dogmata trahebat. Franciscus Davidis (de quo dictum supra, capite 4, numeris 5 et 7), prius Lutheranus, dein Calvinista, et Caspar Heltus, ultimus Luthericolarum Claudiopoli pastor publicus, ad Arianos desciverunt per Georgium Blandrata, Archiatrum eiusdem Principis, ad id persuasi; maxime quod occasio sese insinualet, multiplicandae Superintendentium dignitatis, quam praecepit Ioannes Sigismundus, id quod innunt sequentes literae.

3. Literae Ioannis Sigismundi de sopienda controversia Coenae Domini et constituendis ideo Superintendentibus.

„Ioannes II DEI gratia electus Rex Hungariae etc., etc. Fidelibus nostris reverendis, honorabilibus Superintendenti, Decano, Parochis ac universis ministris ecclesiarum Hungaricalium in praesenti Synodo Enyedensi constitutis salutem et favorem. Delegavimus ad praesentem Synodum, cum pleno mandato et auctoritate nostra, hunc praesentem nostrum excellentissimum Georgium Blandratam, doctorem nostrum physicum, virum gravem, eruditum et in sacris literis non mediocriter versatum, ut colloquiis et differentiis vestris de Coena Domini conciliandis intersit et universas rixas, inciviles tumultus ac dissensiones, in ipsa Synodo pro viribus sedare et compescere studeat atque hac occasione odia, iniuria, contentiones inter eos, qui veterum priorum Patrum assertionem et verum indicium pro manifesto verbo DEI sequuntur, praesentiam Corporis Christi affirmant ac inter eos, qui diversam intelligentiam ex verbis Coenae erunt, sopiantur et subsidant, ut in ecclesia DEI floreat vera pax et concordia. Statuimus autem magis e re futurum, si scripto utraque pars suam assertionem proponat. Ita enim arbitramur fore, ut tum iurgia et convitia, quae nonnunquam ex incandescentibus hominum affectibus subnasci consueverunt, tollantur ac praeter offensionem et scandalum infirmorum veritas elucescat, quod quidem in usum et priorum aedificationem maxime vellemus. Sin autem id, quod postulamus,



sequi non poterit, saltem fiant ordinationes piae in tranquillitatem ecclesiarum, ut ecclesiae Saxonicae et quicumque praesentiam Corporis in Coena asserunt, habere possint unum certum Superintendentem, virum gravem, pium et eruditum gregi Domini sedulo invigilantem, qui in unitate doctrinae et ceremoniarum conformitate ac disciplina evangelica ecclesias gubernet ac insontes et inobedientes digna poena animadvertat. Rursus qui diversam assertionem absentis Corporis Christi contendunt, suum habeant Superintendentem, cuius cura et vigiliis, solitis ritibus et ceremoniis ecclesiae eorum in disciplina evangelica gubernentur atque ita distinctis limitibus et functionibus quibuscumque suis omnibus prospiciant et controversiae ac contentiones passim inter utramque partem grassantes vel hoc modo sedentur. Mandamus igitur Fidelitatibus Vestris, ut ipsum Georgium Blandratam honorifice in colloquium excipere, et pro persona in hac functione a nobis deputata habere, recognoscere et acceptare debeatis, simul etiam hortantes benevole, ut collatis mutuis sententiis veram et optatam unionem atque pacem in hac Coenae controversia complectamini. Datae in civitate nostra Alba Iulia, Dominica „Quasimodo geniti“, anno 1564.

Iohannes Rex electus.“

#### 4. Liberum religionis exercitium imperatur.

Anno Christi 1563, 28 Maii, Tordae in comitiis Transylvanicis conclusum fuit, quod anno Christi 1557 postulatum et non sat firmiter conclusum erat, ut in omnibus statibus liberum religionis exercitium haberetur neque ullus alteri hostiliter contradiceret: qui comitiorum articulis perniciosorum errorum ac sectarum in Transylvania origo fuit, nam quotidie novae optiones et sensuum divisiones prodiderunt; quod ipsum querule in publico consessu Albae Iuliae indicatum est Ioanni Sigismundo Vaivodae.

#### 5. Mandatum de proventibus ecclesiasticis sub cura saecularis Magistratus non servandis.

Ioannes Sigismundus seu Iannes II Regius Vaivoda Schesburgum veniens certior factus quod Schesburgensis et Rupensis Magistratus ecclesias omnes proventibus privare alioque salario ecclesiarum ministros sustentare allaborarent, antiqua privilegia hocce scripto firmavit anno Christi 1563: „Cum decimae non per Maiores vestros neque per vos, verum per divos praedecessores nostros Reges Hungariae a fisco eorum regio, ad quem eodem divino et humano iure spectabant, avulsae ministris ecclesiarum qui saluti populi ex officio invigilare debent, donatae et collatae sint. Nosque pro functione regia nostra ipsas ecclesias ac eorum ministros in eorum libertatibus, salvis decimis, redditibus ac quibusvis proventibus eorum (quo ipsi ministri a corporali acquirendi sollicitudine vacui, spiritualibus eo diligentius incumbere possint) mediantibus literis nostris privilegialibus, ecclesiis Transylvanicis super inde concessis observare ac observari facere statuerimus. Propterea Fidelitatibus Vestris harum serie firmissime iterum mandamus, aliud omnino nolentes, ut vos et quilibet vestrum omnino imposterum universis decimas musti, frugum, avenae, milii, canabis et aliarum terrae nascentium, nec non apum agnellorumque alios etiam quoslibet redditus, proventus et emolumenta ipsis parochis de iure et ab antiquo de medio vestri

pervenire solita, tempore debito, pure et integre, liquido ac citra quemlibet fraudem, dolum, fucum et defectum prout leges et iustitia requirunt eisdem reddere et restituere modis omnibus debeatis et teneamini. Secus nullo modo facturi, praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in civitate Segesvar, feria quinta post Domenicam „Reminiscere“ anno 1563“ Hisce temporibus Transylvaniae Principes *Partium Regni Hungariae Dominorum* titulum usurpare coeperunt et hodiernum usque diem usurpant atque sic Transylvania, quae olim dicebatur solummodo *pars Regni Hungariae*, iam *Partium Regni Hungariae Domina* appellari coepit.

